SACRA RITUUM

CONGREGATIONE

EMO ET RMO DO

CARDINALI

DELLA GENGA SERMATTEI

RELATORE

MELIAPUREN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII

VENERABILIS SERVI DEI

JOANNIS DE BRITTO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

NOVISSIMA POSITIO

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio & causa Martyrii, nec non de Signis, seu Miraculis in casu & ad effectum de quo agitur?

ROMAE MDCCCLI.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI BRANCADORO

MELIAPUREN.

BEATIFICATIONIS,

SEU

DECLARATIONIS

MARTYRII

VEN. SERVI DEI

JOANNIS DE BRITTO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

FACTUM CONCORDATUM

Ven. Joannes de Britto post heroicarum virtutum exercitium, innumerasque infidelium conversiones, martyrio coronatus fuit die secunda Februarii 1693, sibique universalem famam sanctitatis & miraculorum conciliavit, qua motus Episcopus Civitatis S. Thomæ Meliapurensis, auctoritate obsignatas tabulas confecit super Martyrio, & clausas ac sigillatas ad S. R. C. transmisit, quas aperiendas esse eadem benigne censuit die 22 Decembris 1696 & Summus Pontifex audita relatione R. P. Secretarii libenter annuit die 2 Martii 1697.

Aliæ hic in Urbe a Rmo Card. Urbis Vicario confectæ fuerunt inquisitiones ordinariæ anno 1699 & exhibitæ S. R. C. ad instantiam Causæ Postulatoris facultas illas aperiendi habita fuit die 1 Julii 1713 & SSmus ad relationem Secretarii ejusdem S. C. benigne annuit die 20 iisdem mense & anno.

Hinc Postulator humillime supplicavit ut proponeretur Dubium Introductionis Causæ in Congregatione Ordinaria ab-

sque interventu Consultorum, & S. C. gratiam petitam quibuscumque in contrarium non obstantibus posse concedi censuit, si SSmo placuisset, die 23 Septembris 1713 factaque deinde relatione, Sanctitas Sua benigne annuit die 18 Octobris anno eodem.

Ut vero Causa examini subjiceretur in Cong. Ord. nominatio Relatoris erat facienda, quapropter Postulator demisse supplicavit sa. me. Pontificem Clementem XI. ut aliquem ex Rmis Patribus Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi præpositis in Relatorem, sive Ponentem deputare dignaretur; & Sanctitas Sua benigne nominavit Rmum Cardinalem Origo die 17 Martii 1714.

Proposito autem per dictum Rmum Cardinalem in S. R. C. Ordinaria Dubio = *An sit signanda Commissio Introductionis Causae Servi Dei Joannis de Britto* = responsum fuit = *Dilata & proponatur in prima cum novis Animadversionibus R. P. Fidei Promotoris.* Die 23 Martii 1715.

Ad formam supradictæ responsionis iterum proposita Causa in comitiis Ordinariis diei 11 Maii 1715 S. C. respondendum censuit = *Affirmative salvo jure opponendi quoad usum vestium, lavacrorum, & cinerum suo loco & tempore si SSmo Domino nostro placuerit.* = Facta postmodum de præmissis relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, & commissionem propria manu signavit die 4 Junii anno eodem.

Ut causa autem juxta leges ad ulteriora procederet, Postulator humillimas preces porrexit S. R. C. pro constructione Processus Apostolici hic in Urbe, ubi Testes bene instructi aderant, super non cultu, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani VIII., & S. C. annuit juxta petita, committens Rmo D. Archiepiscopo Capuano, tunc Urbis Pro Vicario, ut per se, vel ipso impedito, per aliquem ex Rmis Archiepiscopis sive Episcopis ab eo deligendum cum omnibus & singulis facultatibus necessariis, et opportunis supra recensitum Processum perficeret, audito etiam R. P. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, assignato termino unius anni, si SSmo visum fuisset die 6 Julii 1715 & Sanctissimus annuit die 13 iisdem mense & anno.

Interim R. P. Callicola Protonotario Congregationis S. Rituum variis occupationibus impedito, Causæ Postulator ad effectum construendi dictum Processum super non cultu, humillime supplicavit, ut Summus Pontifex dignaretur subrogare R. P. Spatam unum ex protonotariis Apostolicis, & benigne annuit juxta petita, die 3 Augusti 1715.

Expleto dicto Processu, & ad S. R. C. transmisso, Postulator supplicavit pro aperitione, & S. Congregatio annuit, servatis de jure servandis, die 11 Julii 1716 & die 1 Augusti anno eodem SSmus benigne annuit.

Ad humillimas preces Postulatoris S. R. C. indulsit, ut dubium validitatis processus super non cultu in Urbe con-

structi posset in ordinario Convento discuti absque interventu Consultorum die 11 Julii 1716, & SSmus benigne annuit die 1 Augusti anno eodem.

Proposito inde dubio = *An sententia Rmi Episcopi Lyciensis Judicis subdelegati a Rmo D. Cardinali Pro Vicario Judice Delegato lata super paritione Decretis sa. me. Urbani Papæ VIII. in Congregatione Sacræ Inquisitionis super non cultu editis sit confirmanda vel infirmanda in casu, & ad effectum de quo agitur?* Sacra Congregatio audito prius tam in scriptis quam in voce R. P. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, rescribendum censuit = Negative = Die 20 Novembris 1717.

Vigore hujus negativae responsionis, Postulator Causæ ad plene probandum cultum V. S. D. nullimode fuisse exhibitum humillime supplicavit Sacrorum Rituum Congregationi, quatenus benigne committere dignaretur per litteras Particulares Rmo Archiepiscopo Goano, sive ejus Vicario Generali, qui mediante judiciali accessu ad Collegium Societatis Jesu, recognosceret an in loco in quo asservantur Ossa V. S. D. adesset aliqua cultus species; et S.C., audito etiam R. P. Fidei Promotore, petitas litteras cum Instructione dicti Fidei Promotoris, posse concedi censuit, si SSmo visum fuisset, die 5. Februarii 1718. Summus autem Pontifex benigne annuit die 19 iisdem mense et anno. Literæ vero Particulares expeditae fuere die 19 ejusdem mensis et anni.

Ne interim dum expectabatur exitus Judicii super non cultu perirent probationes in specie super Martyrio & Miraculis, Postulator institit pro concessione litterarum Remissorialium & Compulsorialium ad effectum examinandi quoscumque Testes in partibus inducendos, & S. C. posse concedi censuit, dummodo tamen examen Testium statim transmitteretur ad S.C. & non proponeretur causa super Martyrio, nisi completo judicio super non Cultu, illasque dirigi ad Rmum Archiepiscopum Grancanorensem, vel ejus Vicarium Generalem, cum clausula tamen, quod idem Rmus Archiepiscopus Grancanorensis, cum duabus Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, quatenus adessent, ab ipso nominandis, in constructione dicti Processus, conjunctim semper procederent, deficientibus vero prædictis Dignitatibus sive Canonicis, cum aliis duobus Vicariis suffraganeis, vel Foraneis ab ipso Archiepiscopo electis, et si idem Reverendissimus Archiepiscopus ob legitima impedimenta assistere minime valeret, tunc ejus Vicarius Generalis cum tribus Dignitatibus seu Canonicis, si adessent, vel in eorum defectu cum tribus Vicariis suffraganeis vel Foraneis ut supra nominandis semper conjunctim & non divisim assisterent: quatenus vero recensitus Processus construi debuisset in aliis locis ejusdem Dioecesis, sive in Locis Infidelium, ubi nequiret assistere dictus Archiepiscopus, neque ejus Vicarius Generalis, tres Vicarii Suffra-

ganei vel Foranei ab ipso Archiepiscopo nominandi conjunctim pariter procederent ad exequutionem dictarum Litterarum cum omnibus & singulis facultatibus necessariis & opportunis, et termino sex annorum, si SSmo visum fuisset, die 5 Februarij 1718. & die 19. iisdem mense & anno Pontifex benigne annuit.

Iisdem clausulis Apostolicæ literæ missæ fuere ad Rmum Episcopum S. Thomæ seu Meliapurensem ad effectum fabricandi Processum super Martyrio & miraculis, uti patet ex decreto supradicti diei & anni.

Exhibitis eo tempore in actis S. R. C. clausis & sigillatis *duobus* Processibus auctoritate Ordinaria in Civitatibus Goensi et Cocinensi super Martyrio & Causa Martyrii, nec non super non Cultu, ad instantiam Postulatoris facultas illos aperiendi facta fuit a S. R. C., si SSmo placuisset die 15 Februarii 1721; & Pontifex annuit die 1. Martii anno eodem.

Anno 1723. Romam pervenit Processus Apostolicus Goæ constructus super non cultu V. S. D. & S. R. C. aperiendum indulsit, si SSmo placeret, die 17. Aprilis, & Pontifex Maximus annuit die 21. ejusdem mensis & anni. Cum vero hic in Urbe nullus reperiretur qui sigillum dicto Processui appositum ab extra recognosceret, S. R. C. ad Postulatoris instantiam aperiri posse censuit absque recognitione, si SSmo placuisset, die 3 Julii 1723, & Pontifex approbavit die 22. iisdem mense & anno.

Quamvis litteræ Apostolicæ expeditæ fuissent anno 1718. et directæ Archiepiscopo Grancanorensi pro construendo Processu super Martyrio & Miraculis, ne perirent probationes, tamen nondum anno 1724 Processus ipse expletus fuerat ob varia impedimenta. Hinc Postulator causæ supplicavit pro subrogatione Episcopi Coccinensis cum iisdem facultatibus & clausulis in Litteris contentis & termino sex annorum: & S. R. C. annuendum petitioni censuit, si SSmo placuisset, die 15 Julii 1724, & Summus Pontifex benigne annuit die 31 iisdem mense & anno

Delato anno 1728. ad Urbem Processu Apostolico V.S.D. in Civitate Coccinensi super illius Martyrio, & causa Martyrii, nec non Miraculis in specie constructo, Postulator causæ pro ejus aperitione S. R. C. humillime supplicavit, quæ illum aperiri posse censuit, si SSmo visum fuisset die 20. Martii 1728. & Pontifex annuit die 14. Aprilis anno eodem.

Vigore novi Processus Goæ constructi super non cultu Ven. S. D. in S. R. C. Ordinaria propositum fuit dubium = *An constet de sufficienti paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. super non cultu in casu & ad effectum de quo agitur* = S. Congr. rescribendum censuit = *Attento novo Processu constare de sufficienti paritione Decretis sa. me. Urbani Papæ VIII. si SSmo D. N. visum fuerit* = Die 30 Julii 1729, & SSmus annuit die 6. Augusti anno eodem.

Sacrorum Rituum Congregatio ad humillimas preces Postulatoris censuit dispensari posse, ut dubium validitatis Processuum tam Apostolica, quam Ordinaria auctoritate constructornm in hac cansa discuti valeret, in ordinariis comitiis absque interventu Consultorum, si SSmo D. N. visum fuisset, die 26. Augusti 1730. SSmus vero annuit die 28 iisdem mense & anno. Hinc proposito Dubio = *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria auctoritate constructorum, an Testes sint rite & recte examinati in casu, & ad effectum de quo agitur?* Responsum fuit = *Dilata quoad Processum Meliapurensem, & ad Emum Ponentem juxta mentem; quoad Processum Coccinensem, constare de validitate, reservato jure dicto Fidei Promotori excipiendi contra Testem XXVIII. prout de jure; quoad Goanum affirmative; quoad Processum Romanum etiam affirmative si SSmo visum fuerit, die 30 Junii 1731, & SSmus annuit die 4 Julii anno eodem.* Ad instantiam Postulatoris iterum propositum fuit dubium super validitate Processus Meliapurensis, & S. C. rescribendum censuit = *constare in casu, de quo agitur*; si SSmo D. N. visnm fuerit, die 11. Augusti 1731 & SSmus annuit die 18. iisdem mense & anno.

Perquisitis de mandato S. R. C. Scriptis Viro Ven. tributis, quæ reperiebantur in Malabaria, & missis ad eamdem S. C. Postulatores supplicarunt pro deputatione Theologi Revisoris, et eadem S. C. petitam revisionem commisit Rmo Cardinali Origo Relatori cum facultate deputandi unum vel plures Theologos, si SSmo placuerit die 16. Februarii 1737 & SSmus annuit die 20. iisdem mense & anno.

Die 26. Martii 1737. Postulatore supplicante sa. me. Clementem XII. ut alterum ex Rmis Cardinalibus Congregationi præpositis in Relatorem causæ V. S. D. in locum clar. mem. Cardinalis Origo jam defuncti deputare dignaretur, Sanctitas Sua cum omnibus & singulis facultatibus, in statu tamen & terminis in qnibus causa reperiebatur Rmum, D. Cardinalem Sancti Clementis deputavit ac subrogavit.

Scripta Viro Venerabili tributa per Theologos revisa et examinata, S. R. C. judico proposita fuere die 6. Aprilis 1737 & responsum prodiit = *Ex iis nihil obstare, quin procedi possit ad ulteriora, si SSmo D. N. visum fuerit* = & SSmus annuit die 13. iisdem mense & anno.

Obtenta Apostolica dispensatione procedendi ad ulteriora in discussione articuli relevantiae contentorum in Processibus jam approbatis, quamvis elapsi non fuissent anni quinquaginta a præsentatione dictorum Processuum, ut patet ex decreto diei 5. Maji 1737. Feria III. die 1. mense Iulio anno 1738. in ædibus Rmi D. Cardinalis Sancti Clementis Relatoris Causae Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Joannis de Britto Sacerdotis Professi Societatis Jesu habita fuit

Congregatio antepræparatoria super Dubio = *An constet de Martyrio & Causa Martyrii in casu, et ad effectum de quo agitur?* = Quum vero R. P. Fidei Promotor in præsenti Causa Beatificationis, seu Declarationis Martyrii V. S. D. Joannis de Britto post Congregationem antepræparatoriam novas exarasset animadversiones super examine Martyrii et causa Martyrii, atque in iis præliminariter excepisset ex nonnullis epistolis, et manuscriptis in Archivio Urbano Sacræ Congregationis de propaganda Fide asservatis deductam fuisse notitiam, nonnullos in Malabaria opinari, quod Servus Dei potuerit esse auctor cujusdam assertæ vitæ Idoli Bramæ lusitano idiomate conscriptæ, atque rursus Goae asservaretur antiquior quædam Imago Servi Dei, ut fertur Goanis typis impressa, atque diversa ab illa exhibita in positione causæ; proptereaque urgeret, quod priusquam ad ulteriora in causa procederetur, juxta dispositionem Decretorum generalium sa. me. Urbani Papæ VIII. exhiberetur tam supradicta asserta vita Idoli Bramæ, quam præfata Servi Dei antiquior Imago Goanis typis impressa; hinc Causæ Postulator sacrorum Rituum Congregationi enixe supplicavit, quatenus Archiepiscopo Goano, sive ejus Vicario Generali literæ Particulares darentur ad effectum faciendi debitas et opportunas diligentias pro illis inveniendis. Rm̄i vero Patres eidem Congregationi præpositi die 31. Januarii 1739. petitas litteras concedendas esse censuerunt, ut patet ex expeditione earundem sub die 3. Martii dicti anni.

Quum autem in Congregatione Ordinaria habita die 1. Julii 1738 dubitatum fuisset an V.S.D. contra Ecclesiæ mandatum practicasset nonnullos ritus Gentilium dum Missiones explebat in Regno Maravensi, sa. me. Pontifex Clemens Papa XII. expediens judicavit, quod examen hujus Articuli prius et ante omnia, ac separatim ab aliis Causæ obstativis, sub consueto sigillo expleretur in Tribunali sacræ Inquisitionis. Verum e vivis erepto dicto Summo Pontifice, priusquam præfatum examen in dicto Tribunali expletum esset, atque ad Pontificatum evecto Benedicto XIV. placuit Sanctitati Suæ de meritis causæ, deque propositis difficultatibus optime conscio, eamdem causam a dicto Tribunali sacræ Inquisitionis motu proprio avocare, atque mandare, quod præfatum examen super objectis Ritibus separatim ab aliis causæ obstativis expleretur in Sacra Rituum Congregatione Ordinaria absque interventu Consultorum coram eadem Sanctitate Sua habenda die 22. mensis Aprilis 1741. & in ea sequens proponeretur Dubium cum R. P. Fidei Promotore jam concordatum, nempe = *an obstent objecti Ritus quominus procedi possit ad ulteriora in causa ad effectum de quo agitur?* = Et ita servari mandavit die 11. Februarii 1741.

Sabbato die 22. Aprilis supradicti anni habita fuit Congregatio Sacrorum Rituum Ordinaria sine interventu Consultorum

coram Summo Pontifice Benedicto XIV. pro Causa Meliapurensi Ven. Servi Dei Joannis de Britto Sacerdotis Professi Societasis Jesu super dubio = *An obstent objecti Ritus quominus procedi possit ad ulteriora in Causa ad effectum de quo agitur?* et solemni Decreto Pontifex Maximus pronunciavit = *objectos a Fidei Promotore Ritus non obstare quominus in Causa praesenti Venerabilis Servi Dei Joannis de Britto ad ulteriora procedatur, ad disquisitionem videlicet Dubii super Martyrio, et causa Martyrii, nec non ulterioris Dubii de Signis et Miraculis, quae ejus intercessione patrata dicuntur: data Postulatoribus facultate ut in aliis Causis Martyrum sæpe factum est, proponendi in subsequentibus Congregationibus Sacrorum Rituum Dubium de Signis & Miraculis una cum Dubio Martyrii, & Causa Martyrii.* = Die 2. Julii 1741.

Reassumpta hoc anno 1851. Causa Ven. S. D. Pater Joseph Aloisius Chiereghini Procurator Generalis Societatis Jesu Causæ Postulator humillime supplicavit, ut in locum defuncti Rm̃i Card. S. Clementis Ponentis, alterum ex Rm̃is Patribus Cardinalibus Sacris Ritibus Præpositis, Sanctitas Vestra, subrogare dignaretur, & Decreto diei 24. Januarii me in Relatorem nominare dignata est & die 8 Aprilis ejusdem anni in Palatio Apostolico Vaticano habita fuit Congregatio præparatoria super Dubio = *An constet de Martyrio, Causa Martyrii, & Signis seu Miraculis.*

Quum autem hodierna die habenda sit Congregatio Generalis V.S.D. Joannis de Britto Sacerdotis Professi Societatis Jesu, rebus, ut supra, dispositis, Dubium propono cum R. P. Fidei Promotore concordatum = *An constet de Martyrio, Causa Martyrii & Signis seu Miraculis in Casu, et ad effectum de quo agitur?*

PRO D. CARD. DELLA GENGA SERMATTEI

A CARD. LAMBRUSCHINI PRAEF.

MELIAPUREN.

BEATIFICATIONIS, SEU DECLARATIONIS

MARTYRII

VENERABILIS SERVI DEI

JOANNIS DE BRITTO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

NOVISSIMÆ ANIMADVERSIONES

R. P. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio, et causa Martyrii in casu, et ad effectum de quo agitur?

BEATISSIME PATER

1 Pervetusta nobis expendenda obvenit causa, quæ Venerabilem Dei Famulum Joannem de Britto ex inclyta Jesu Societate veluti strenuum Christi Athletam suspiciendum proponit, qui postquam plurimos populos e Madurensi Regno, aliisque finitimis in Malabarica Provincia ad Christianam Religionem amplectendam convertisset, demum ejus veritatem sanguine ipse suo laetus, atque alacer confirmaverit. Causæ hujus disquisitio initium habuit anno 1715 cum interea temporis Prosper Lambertinius Fidei Promotoris munere fungeretur. Deinde cum vir ille doctissimus ad Petri Cathedram evectus esset illud rite concessit anno 1741. ut

in subsequentibus Congregationibus S. R. Dubium de signis, & miraculis una cum dubio Martyrii, et causa Martyrii proponi posset. Causa ista progressa est ad annum usque 1744 quo tempore iis omnibus instructa erat, quibus ad Præparatoriam Congregationem convocandam opus esset. Verum ulteriorem ejus progressum variæ, quæ interea consecutæ sunt temporum vicissitudines, præpedire visæ sunt. Hanc igitur causam, quæ tamdiu intermissa fuit, discutiendam aggrediamur.

2 Antequam vero de Martyrio ejusque Causa edisseram, novum plane documentum nuper repertum in medium proferam, in quo gravis illa quidem, ac peculiaris deprehenditur exceptio ad omnium Testium fidem prorsus infirmandam, quos Postulatio adducit, ut eorum assertionibus sive Martyrium ejusque causam, sive miraculorum veritatem evincat.

3 Quum scilicet Fr. Renatus Franciscalis Capulatus in Indiis Orientalibus versaretur ibique Apostolicis Missionibus expediendis uti Præses operam suam adjiceret, die 26 Octobris Anni 1746. epistolam ad Benedictum XIV. conscripsit, in qua nonnulla duxit animadvertenda, quæ auspicatum causæ hujus exitum impedire posse sibi videbantur. Primum *damna*, & *pericula* ipse opponit, quæ oritura esse censet, si inter Beatos uti Martyr adlectus Apostolicæ Sedis decreto declararetur Venerabilis Joannes De Britto, qui *ritus a Sancta Sede tot vicibus damnatos* tolerare non dubitavit. Quæ tamen objectio jam locum obtinere amplius nequit, quippe Benedictus XIV. qui jam ad rem appositas animadversiones pro sui muneris perfunctione objecerat, die 2. Julii 1741. decretum edidit, quo statuit = *Objectos a Fidei Promotore ritus non obstare, quominus in causa præsenti Ven. S. D. Joannis De Britto ad ulteriora procedatur etc. = Sum. Add. pag.* 1. = Deinde Religiosus ille vir in sua epistola ulterius progrediens Testium omnium, qui ad hanc causam instruendam adferuntur eam describit indolem, ut ad testimonium perhibendum impares plane demonstrentur. Atque illud cum primis videtur obesse, quod judicium hoc suum vel ipso testimonio confirmat quorumdam sodalium e societate Jesu, quos omni exceptione vacuos in hac causa esse, nemo est qui non videat.

4 Præstat modo postremam documenti hujusmodi partem exscribere, & cujusque oculis subjicere, ut maxima, quæ adversus totius hujus causæ probationes eruitur objectio dilucide patefiat = „ Sanctissime Pater, „ ille scribit „ non „ dubito, & neminem volo dubitare, quin iste R. Pater „ (Joan. De Britto) in vita sua, & moribus integerrimus „ fuerit, & quin bonis ductus intentionibus, & ferventi ze- „ lo in suo ministerio se gesserit: hæc omnia libenter conce- „ do. At cum sit præsertim quæstio de Martyrio, & de pa- „ tratis ab illo non paucis miraculis, quæ, ut vox est, multis „ testimoniis, attestationibus, et juramentis probantur co- „ ram Sancta Sede ut vera & certa „ insurgo contra, &

„ probo Sanctitati Vestræ, hæc testimonia esse malæ fidei „ suspecta, esse incerta, esse dubiis obnoxia, & consequen- „ ter Apostolicam Sedem illis fidere non posse; &, ut meis „ satisfaciam promissis, ipsorummet Patrum Societatis ver- „ bis ea infirmabo, qui in suo non parvo volumine, „ cui titulus defensio Indiarum Missionum, tam irregu- „ lariter contra Decretum Emi Cardinalis de Tournon typis „ mandato, ut quantum in ipsis est irritam faciant con- „ demnationem Rituum gentilicorum, conantur coram Sum- „ mo Pontifice Clemente XI. ad nihilum reducere Neophy- „ torum Indorum testimonia, quibus Emus Præsul uteba- „ tur in suis informationibus ad melius dignoscendam ve- „ ritatem.

„ Sanctissime Pater, RR. Patres Societatis in illo opere de- „ pingunt gentem Malabaricam ut incapacem testimonii di- „ cendi in tali Causa; quamvis, quidquid dicatur, satis fide „ digna videatur, quippe quæ praesumatur suas proprias res „ melius scire, quam quaelibet alia gens. Sic eam depingunt „ illam, & certum est, illos in hoc optime attingere istius „ gentis indolem, naturam & characterem, ut videbit modo „ Sanctitas Vestra.

„ Istud cum ita sit, Sanctissime Pater, coram Sanctitate „ Vestra adducam nunc istos Neophytos Tamulenses super „ Martyrio, & miraculis R. P. Joannis De Britto testimo- „ nia dantes: in hoc puncto praecipue haereo & nitor. Siqui- „ dem RR. PP. Societatis in tali causa, in qua, quae sua sunt, „ scilicet suae Societatis gloriam nimis quærere possunt, „ non debent valere, & probare. Deinde cum in oris mari- „ timis inter Europæos, quod sciatur, non sit conversatus R. „ P. Ioannes De Britto, nisi per transeundum, Europaeorum „ attestationes desunt, & restat, cum in locis mediterraneis „ tantum inter Indos multo tempore Missionarii sacro mune- „ re functus fuerit, omnia, aut quasi omnia testimonia desum- „ pta venire ab Indis Neophytis. Adstantibus illis coram San- „ ctitate Vestra super Martyrio, & miraculis R. P. Joannis „ De Britto testimonium dicentibus, liceat mihi de illis hoc „ dicere, quod dicunt RR. Patres Societatis de his, qui certi- „ ficabant pravitatem Suorum Rituum coram Emo Cardi- „ nali De Tournon, quamquam haec sit disparitas inter Cau- „ sam illam, & istam, quod Emus Praesul suum Decretum „ fundaverit praecipue super confessionem ipsorummet Pa- „ trum Societatis, qui non potuerunt in hoc esse suspecti, & „ hic probatio Martyrii, & Miraculorum R. P. Joannis De „ Britto super testimonia RR. Patrum Societatis suæ propriæ „ gloriæ promoventium non possit inniti secundum stylum „ Sanctæ Sedis Apostolicæ.

„ Sanctissime Pater, audiat ergo Sanctitas Vestra verba, „ quae in ore meo ponunt ipsi RR. PP. Societatis super in- „ dole, natura, & characteribus Testium Tamulensium. Post- „ quam isti RR. Patres in sui operis margine hanc notam

» posuerint, scilicet ab Indis notitias certas haurire non po- » tuisse Illustrissimum Patriarcham, quod probatur in ipsa » gentis indole, sic repraesentant in corpore libri istam indo- » lem, & siquidem optime, ut fatentur omnes qui bene » norunt istos Indos.

» *Si Indorum, ac praesertim Tamulensium indoles in Eu- » ropa nota foret, non esset opus plura dicere, ut Sancti- » tas Vestra* (Clemens XI.) *cognosceret quam difficile sit » ab illis veritatem elicere . . . Gens est assentatrix, quae, » si cum alicujus auctoritatis viro alloquatur, & norit quo » propendeat, eam in partem & ipsa inclinabit, eaque liben- » ter dicet, quæ libenter auditum iri crediderit: Gens est ava- » ra, quæ si lucrum aliquod sperat, aut damnum timet, nullo » prope veri, falsique discrimine omnia ad voluntatem inter- » rogantis proferet: Gens est timida, quæ concedere quævis » malit, quam homini quem reveretur obsistere: Gens est » in verbis ambigua, quæ saepius tum maxime dissentit, cum » omnia videtur assentire: Gens est parum sibi constans, quæ » nunc hoc, nunc illud sentit, nunc verum, nunc falsum » dicit: Gens est, in qua velut inter alios populos docti sunt » pauci, infiniti ignari, qui . . . in maximos errores indu- » cunt.*

» Talis est, Sanctissime Pater, tabella indolis Tamulensium » ex Patribus Societatis in sua Defensione contra Decretum » Emi Cardinalis De Tournon depicta. Non aggredior com- » mentaria edere super hujusmodi indolis characteres. Ad » simplicem horum inspectionem facile est judicare quam » parum apti sint Indi ad danda testimonia in Causa tan- » ti momenti quanti est Canonizatio R. Patris Ioannis De » Britto.

» Quid erit, Sanctissime Pater, si his characteribus » tam malæ indolis addiderimus violentam ejus propensio- » nem ad superstitionem, ad commenta, ad fabulas, ad » facta mirabilia, & portentosa? Gens est, ut in eodem lo- » co dicunt RR. Patres Societatis, cujus religio mille com- » mentis quotidie crescit, & ego certifico homines istius » gentis, etiamsi sint sacro lavacro regenerati semper reti- » nere mordicus in sua natura incredibilem quemdam fu- » rorem ad superstitionem, & esse credulam in supremo » gradu.

» Nihil hic dico, Sanctissime Pater, ut loquuntur RR. » Patres Societatis, quod non mecum dicturi sint quotquot » sunt Europaei, qui cum illis gentibus familiarius ege- » re, & cum eis commercia iniere, nihil quod multi Scri- » ptores non tradant. =

5 Objectionis vis, & gravitas in hac Epistolæ parte, quam hacteuus retulimus, satis diserte ostenditur sic, ut peculiari aliqua commentatione neutiquam egeat.

Quamobrem ad Venerabilis Martyrium, ejusque Causam expendendam properamus.

DE MARTYRIO MATERIALI

6 Quatuor Testes *de visu*, nimirum VIII. IX. X. ac XVIII. a Postulatoribus adferuntur, ut eorum testificationibus Martyrium *materiale*, sive necem probent, quam Venerabilem Joannem De Britto maxima, quæ requiritur, animi alacritate, perpessum fuisse affirmant. Porro Testes recensiti non omni exceptione expertes reperiuntur. Equidem ab iis exceptionibus fuse, ac diserte evolvendis, ne *crambrem*, uti ajunt, videar *recoquere*, plane abstinebo, quandoquidem mei Antecessores anteactis suis Animadversionibus id accuratissime præstitere. Quare eas meminisse dumtaxat, ac propemodum indigitare sufficiat.

7 Testis VIII. seu *Perumal*, qui carnifex fuit, utpote infamis, infidelis, & perjurus notatur. Testis IX. Proc. Ap. *Mattu*, seu *Margaritus* militis officio perfungens uti vilis, suisque moribus Ethnico prope similis coarguitur. Quorum proinde testimonia ad legitimam probationem constituendam nequaquam idonea videntur esse. Pone sequuntur Testis X. *Margarita* ex Tribu Valelichii, & Testis XVIII. *Andreas* Cathechista ex Tribu Pallen, qui nonnisi longe distantes sese Ven. Joannis internecionem vidisse asserunt. Tum non immerito infertur, singula Martyrii adjuncta neutiquam potuisse discernere ita, ut de iis *propria scientia* accurate testimonium reddant.

8 Quod si Martyrii causam ex quatuor hisce Testibus dignoscere velimus, ii sane de ea testari propria scientia non posse videntur; siquidem Venerabilis damnationi præsentes adstitisse minime probatur.

9 Hisce breviter animadversis, A. A. suffragantium modo erit, postquam documentum superius relatum diligenter exploraverint, ejusmodi exceptiones, quas una collegimus, rursus perpendere, ut exinde dijudicent, utrum reapse Martyrium, ejusque Causa Testibus *de visu*, *seu directis probationibus* demonstretur. Id enimvero summopere interest constituere. Si enim Martyrium, ejusque Causa Testibus *de visu*, seu directis probationibus luculenter ostendi AA. Patribus videretur, jam duo miracula satis essent ad divinum testimonium ex legis præscripto obtinendum. Quod quidem jus novissimum cum Benedictus XIV. edixerit die 17. Junii Anni 1754, primis Postulatoribus innotescere non potuit, qui Causam Anno 1744. suspensam reliquere.

DE MARTYRIO FORMALI,

SEU

CAUSA MARTYRII

10 Quum *Martyres non faciat poena*, *sed causa*, hinc disquirendum sedulo est utrum Tyranni, nedum Venerabilis agendi ratio legitimam Martyrii causam ostenderit. Ac primo quidem evincendum luculenter esset, Fidei odium causam fuisse præcipuam, qua Tyrannus maxime percitus Venerabili Dei Famulo mortem irrogare voluerit. Jamvero si facti adjuncta sedulo pervestigemus, aliud prorsus apparebit. Constat enim ex actis, Venerabilem Joannem anno vertente 1686. e Regno Malabarico expulsum ab Tyranno fuisse, indicta capitis poena, si quando illuc reverti ausus esset. *Summ. pag.* 64. §. 123. & *pag.* 72. §. 167. Tum etiam ex iis eruimus, ejusmodi præceptum Venerabilem plane contempsisse adeo, ut anno 1690. in illud Regnum redire non dubitaverit. Eo reversus sacras Expeditiones rursus alacer aggressus est, atque interim Principem Teriadeven, jam Cathecumenum baptismate donare noluit, nisi prius ex pluribus suis conjugibus, prima tantum retenta, coeteras, inter quas Reguli ipsius Neptis erat, omnimode repudiaret. Quæ omnia, si attente animadvertamus, quis est quin intelligat, ex iis potissimam repetendam esse causam, quamobrem Regulus ille Apostolicum virum mortis poena mulctaverit? Nimirum, cum ipse vidisset exilii legem ab Dei Famulo fuisse violatam, atque insuper ejus opera factum esse, ut Princeps Teriadeven ejus Neptem repudiasset, tanto in ipsum odio fuit compulsus, ut vitam ei auferri jusserit.

11 Coeteroquin compertum habemus, Catholicam Religionem minime fuisse a Regulo interdictam in Malabarico Regno, nedum in Urbe, ubi ipse residebat. Hinc vel ipsi Catholici viri Castrorum gubernationi præficiebantur, neque ab aliis officiis, vel dignitatibus erant immunes = *Nov. Animad.* §. 22. Huc addendum, quod Venerabilis Joannis Socii fuerint e carcere dimissi, cum ipse mortis poenam subiret *Summ. pag.*56.§.77.&§.62.§.111. Ex quibus omnibus luculentius patet, Tyrannum singulari potius in Venerabilem odio fuisse concitatum, ut ipsum capite damnaret. Privatum autem hujusmodi odium non esse idoneam causam ad martyrium statuendum perspecta res est, atque explorata.

12 Quod si Venerabilis Religiosi viri agendi rationem dispiciamus, aliquid adhuc animadvertendum superest cur de legitima, ac vera Martyrii causa dubitemus. Et sane ex parte Martyris vera Martyrii Causa debet esse *Fides credendorum*, *vel agendorum*, quæ tamen ad prudentiæ tramites dirigenda est, ut

ipse a recta omnigenæ virtutis semita haud unquam declinans coelestis gloriæ coronam promereri queat. Porro Prudentiæ virtus in Dei Famulo desiderari visa est, quippe qui exilii præceptum plane aspernatus in Malabaricam Provinciam reversus est, ibique Catholicam Religionem prædicandam iterum suscepit, quin supplicem libellum Regulo prius exhibuisset ad concionandi facultatem assequendam, prout coeteri Apostolici viri in more habuere. *Non enim debet homo occasionem dare alteri injuste agendi*, ut recte admonet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 1. *ad* 3.

13 Neque vero ulla urgebat necessitas quæ ipsum ad Madurensem Missionem rursus obeundam adigeret: siquidem plures in eo Regno præsto erant Sacerdotes, qui nullius periculi, aut laboris metu deterriti ab ignorantiæ tenebris degentes ibi homines excitarent nitidissimo veritatis lumine collustrantes, atque omni feritate exutos ad omnes Catholicæ Religionis præceptiones recte informarent. Ex quo fit, ut clarius appareat, Venerabilem Joannem nonnisi nimio, atque inconsulto zelo ductum Madurensem Missionem rursus fuisse aggressum, ac proinde non parum remisisse de prudentiæ virtute, quæ *fidem agendorum, vel credendorum* moderari apprime debet. Itaque sive Tyranni, sive Venerabilis agendi rationem perspiciamus, haud levia suppetunt argumenta, quæ legitimam, ac veri Martyrii causam excludere videntur.

DE MIRACULIS

SUPER DUBIO

An, & de quibus Signis, seu Miraculis constet in casu, et ad effectum, de quo agitur?

1 Ut Venerabilis Martyrium divino Testimonio Postulatio confirmet, quatuor a morbo sanationes ejus adprecatione impetratas in medium profert, quas miraculo tribuendas esse contendit. Quænam vero habenda sit fides testibus omnibus, qui ejusmodi sanationes veluti mirificas nobis referunt, documentum, quod initio hujusce disceptationis exhibuimus, præsertim declarat, cum hæc ad extremum præbet animadvertenda » Quid erit, Sanctissime Pater, si his characteribus tam » malæ indolis addiderimus violentam ejus propensionem ad » superstitionem, ad commenta, ad fabulas, ad facta mirabilia, & portentosa? Gens est, ut in eodem loco dicunt » RR. Patres Societatis, cujus religio mille commentis quotidie crescit; Et ego certifico homines istius gentis, etiamsi sint sacro lavacro regenerati, semper retinere mordicus » in sua natura incredibilem quemdam furorem ad superstitionem, et esse credulam in supremo gradu. »

2 Nulla igitur fide dignos esse Testes omnes, qui *adserta* miracula enarrant, satis apparet, atque extat. Ex quo fit, ut ejusmodi Causæ fundamentum penitus concidat, quin ulterius progredi opus foret. Verumtamen expedit, singulas sanationes seorsim expendamus, ut ex variis difficultatibus, quas in iis animadvertemus, adlatæ exceptionis veritas magis, ac magis innotescat.

PRIMUM ADSERTUM MIRACULUM

Instantaneæ sanationis, subitæque virium restitutionis Ignatii ex Tribu Palla Oppidi de Oriur cum maligna, lethalique febri oppressus animam ageret.

3 Medicorum, qui ægrotanti curationem adhibuerint, judicium exquirendum in primis esse admonet Benedictus XIV. *lib.* 4. *par.* 1. *Cap.* 8. *num.* 4. Atqui ex pluribus Medicis, qui Ignatio febre laboranti præsto adfuerunt *Summ. pag.* 94 §. 2. & *pag.* 95. *ad pag.* 98. Ignatius Cathechista dumtaxat in actis adfertur, qui sese nonnisi *tantisper medicinæ artem no-*

visse fatetur = *Summ. pag.* 95. §. 8. Neque vero hujus medici testificationibus quidquam roboris adjiciunt quatuor alii Testes, qui Ignatium maligna febri fuisse affectum unanimi adsensu confirmare videntur. Cum namque vulgi homines essent, ac Medicæ artis prorsus imperiti, sane intrinseci morbi causam, vel qualitatem, uti Testes *de auditu* tantum referre potuerunt. Hinc illud eliam deducimus, nullam nempe probationis vim ipsis esse tribuendam, utpote qui absque ratione, ac scientiæ causa testimonium suum perhibeant. *Benedictus* XIV. *lib.* 7. *Cap.* 49 *num.* 10.

4 Accedit vero, quod eorum testimoniis miraculi *extrema* certo, uti par esset, minime demonstrentur. Qualitas enim, & gravitas morbi ex accurata ipsius diagnosi derivanda esset. Jamvero ex adductis Testibus talis morbi, quo Ignatius fuit correptus, diagnosis eruitur, qualis ob Medicae scientiæ ignaris hominibus expectanda erat: manca scilicet, atque informis ea deprehenditur. Quid enimvero ex eorum assertionibus desumitur? Nihil aliud profecto, nisi Ignatium maligna febri fuisse afflictatum; mensis spatio & ultra ægrum decubuisse; plura remedia ei fuisse suppeditata (de quorum tamen qualitate, ac natura ne minimum quidem verbum interjicitur); demum omni salutis spe deposita, atque posthabita fuisse derelictum. Exinde autem quænam peculiaria fuerint morbi symptomata omnino ignoramus.

5 Atque heic memoremus oportet quæ scribit Benedictus XIV. *lib.* 4. *par.* 1. *Cap.* 8. *n.* 18. = ibi = Colligendum autem = ex hisce videtur, si aliqua sanatio a febri maligna tam= quam miraculum in S. Congregatione proponatur, afferri = debere Medicorum attestationes, qui curæ interfuerunt, = in quibus relata sint febris symptomata, expetendum esse = judicium Medicorum, quorum consilia pro veritate ex= quiruntur, cum ad ipsos pertineat judicium ferre de ma= lignitate febris,et an malignitasex symptomatibus apte dedu= catur = Jam liquido innotescit, quantopere necessaria sit accurata symptomatum descriptio, ut ex iis morbi qualitas queat constitui.

6 Quare clarissimus Lancisius ad sententiam suam de quodam *asserto* miraculo declarandam selectus ob id causæ potissimum illud rejiciendum censuit, quod non omnia morbi symptomata essent perspecta. = *Cum Medici*, ille scribebat, *certum judicium ferre non possint de natura*, *deque exitu morborum, nisi perspectas habeant tum occasiones, tum causas, unde coeperint, tum omnia symptomata, quibus stipati fuerint*, *qui fieri poterit*, *ut ipse ego tuto possim judicare de vera morbi indole, ejusque fine, cum potissimum lateant principia ?* =

7 Cum igitur ex Testibus accurata morbi diagnosis nequeat deduci, ex eo efficitur, ut de morbi qualitate, & gravitate omnino dubitemus. Non enim gravissimum, quod in hisce cau-

sis ferri debet judicium, sinit ullimode, ut meris Testium assertionibus adquiescamus.

8 Utique maligna febri Ignatium fuisse divexatum Testes adseverant. At vero malignæ febris nomine ab imperitis præsertim hominibus plures ægritudines, licet diversæ plane indolis & gravitatis, nuncupari solent. Qua de re Sydenamius inquit, nomen illud ex ignorantia Medicorum ortum habuisse, atque ex eorum curatione minus congrue, ac perite impensa plures periisse homines, quam pyrius pulvis interfecerit. Sane neotericis temporibus reapse scimus malignæ febris nomen a Nosocologia recessisse.

9 Profecto cum ex perspicuis symptomatibus febris, puta *biliosa*, vel *gastrica*, vel alius generis appareat, tum maligna ejus indoles poterit præfiniri; verum cum quis febrem aliquam *malignam* esse mere dumtaxat affirmet, jam morbi ratio, ac natura prorsus delitescit, ac proinde nequit intelligi utrum adlata remedia congrua fuerint.

10 Quamquam haud spernenda nobis occurrit ratio cur febris gravitatem ab Testibus amplificari suspicemur. Subita nimirum Ignatii surrectio, ejusque deambulatio cum comitibus habita, quos inter mulieres erant, ea est, quæ aliquam dubitationem ingerit, quin morbi status minus vere a Testibus fuerit relatus, quemadmodum superius demonstrata eorum idoles ferebat. *Supponendum enim est*, uti alter ex Patribus arguit, *Ignatium quando surrexit de repente sanus, & deambulavit, suis fuisse, ut honestati consuleretur, vestibus indutum: At quandonam iis coopertus est? Num cum de ejus translatione inter amicos, & parentes actum est? Verum cujusnam gentis, nisi forte Maravorum mos est, ut infirmi & quidem pene animam agentes de loco ad locum utique proximum transferendi vestibus propriis adornentur? Persuasibilior est interpretatio, quod ægroti status non adeo fuerit gravis, ut vestibus suis absque periculo indui potuerit. Sed tunc exagerationem praeseferunt Testium depositiones & primum miraculi nutat extremum.*

11 Sed admittamus tantisper, Ignatii morbum ex continua febri dimanasse, quæ ultra trigesimum diem, pessimis symptomatibus comitantibus perduraverit. Jamvero salutaris artis Periti docent, morbum id genus ita dissolvi quandoque posse, ut æger sanus confestim evadat. Quoties autem id contingat, morbus antea in dies ingravescit eatenus, ut ægrotus sensibus plane destitutus mortem oppetiisse videatur. Deinde aut sponte, aut aliqua externa causa intercedente, aliquanto temporis ille excutitur, ac denique sic perfecte convalescit, ut statim pedibus suis queat consistere, atque ambulare. Quod quidem pluribus exemplis in medium allatis apprime ostenditur in opere cui titulus = *Enciclopedia Italiana Dizionario della conversazione. Venezia* 1838. *Vol.* 2. *Art. Asfizia.*

12 Quibus positis haud immerito coarguimus Ignatii sanationem naturæ ipsius viribus fuisse comparatam. Et quidem ipse conva-

luisse fertur trigesimo ferme die a morbi initio; seu quando, ut Hypocrates animadvertit. *Cons. Med. Ph. pag.* 26. morbi aliquot suapte natura depellantur.

13 Nec naturali sanationi obesse quicquam videtur postremus ægrotantis status, qui eatenus fuit adductus, ut sensibus orbatus mortuo similis videretur. Id enim syncopis effectum fuisse quis jure existimaverit. Deinde vero cum aegrotus eo loci fuisset transvectus, ubi Venerabilis Joannes interemptus decessit, ibique in terram projectus, profecto vehemens illa, ac repentina concussio potuit efficere, ut ille citius excitatus apertis paulisper oculis moveri coeperit, ac demum incolumis surrexerit. Atque id sane potiori jure idcirco censemus, quod penitus nos lateat, deprimentibus an excitantibus pharmacis, & qua tandem diaeta curatio fuerit subministrata.

14 Si igitur impetrata ab Ignatio incolumitas naturali ratione ostendi potest, certe non est tam præpropere, ac minus considerate ex ea miraculum derivandum. Etenim habendæ sunt præ oculis aberrationes naturæ, quæ ab assueto tramite quandoque declinat, & quædam operari solet, quæ admirationem excitant. Quoties vero de Miraculis agitur non aliquam, quæ aliquando contingit, naturæ ipsius declinationem, sed ejus potius vires certis quibusdam finibus absceptas penitus pervestigare, ac metiri debemus, ut exinde percipere recte possimus an singularis alicujus morbi sanatio ejus virtuti sit adscribenda.

15 Ac nequicquam Causæ Patronus naturalem morbi sanationem ideo potissime excludendam esse contendit, quod licet ægrotanti medicamina suppeditata fuerint, morbus tamen in deterius progrederetur ita, ut medicus ipse ab ulteriori curatione sese abstinuerit, ac de ejus salute spem omnem abjiecerit, Ignatius quippe uni naturæ concreditus utique potuit per quietem assequi, quod ab medicorum curatione frustra expetivit. Qua de re Valesius in suis commentariis animadvertit = *periculosius esse incidere in medicum, qui nesciat quiescere, quam in illum, qui nesciat contraria adhibere* = Et clarius etiam affirmat Aetius *Tract.* 2 *Serm.* 2 *cap.* 10 =
= Proinde operæ pretium est nosse, quod multi sic ægro-
= tantes in tempore curationis nihil commodi perceperunt,
= dimissa curatione restituti sunt, natura ante curationem
= prævalente contra morbos debiles ex medela factos: Qua-
= propter naturæ remissionem dare oportet: videtur enim una
= cum curationibus affligi, in quiete vero invalescere, & su-
= perare morbos jam attenuatos =

16 Hisce animadversis hoc primum, quod proponitur miraculum, refutandum videtur esse, utpote quod omnis probationis præsidio destituitur.

SECUNDUM ASSERTUM MIRACULUM

In positione Sextum

Instantanae Sanationis Santiagi Gasparis a Paralysi cum Atrophia contracta a nativitate.

17 Hoc etiam alterum, quod expendendum aggredimur, Miraculum, non iis *extremis* præditum se præbet, quæ ad Miraculi existentiam comprobandam legis decretum præstituit. Et sane morbi gravitas ostendenda luculenter esset, ut ex ejus *impossibili* aut *difficili* curatione dijudicari queat an Gasparis sanatio sit miraculo tribuenda. Ast inter Testes nullus adducitur salutaris Artis Peritus, qui morbi causam, vel progressum nobis exhibeat. Jamvero paralysis, vel Atrophiæ *impossibilis* aut *difficilis* curatio ex ejus causa, vel progressu dimetienda est. Quandoquidem = *La cura di tal condizione morbosa è talvolta facile, e tal' altra impossibile secondo che si può rimuovere, o nò la cagione, che l'ha prodotta, e secondo il guasto, che nell'organismo malato è accadùto* = *Enciclop. Italiana Dizion. della Convers. V.* 3 *pag.* 141 *Art. Atrofia* = Nullo igitur medici testimonio intercedente, qui hæc sedulo potuisset describere, propemodum inutiles evadunt Testes caeteri, qui nonnisi mancam, atque inutilem morbi relationem enunciant.

18 Ac licet Paralysis, & Atrophia id genus sint morbi, qui exterius emineant; attamen eorum indoles ita se habet, ut perspicacissimum quemque possit illudere. Neque enim ex se *lethales sunt*, veluti Heisterus admonet, nisi aliqua accedant symptomata, quae eorum gravitatem evincant. Quamobrem Benedictus XIV. ad cujuslibet morbi qualitatem, vel gravitatem certe confirmandam Medicorum judicium omnino requisivit. *lib.* 4. *P.* 1. *Cap.* 8. *N.* 4. =

19 Sed non levis nobis occurrit arguendi ratio; cur pueri aegritudinem minus gravem fuisse putemus. Ac reapse cum Parentes caeteroquin opibus satis instructi ab Medicis arcessendis abstinuerint, qui filiolum curarent, hac sua agendi ratione manifeste declararunt, ipsius morbum non adeo saevum sese probasse, ut naturae adolescentis viribus deinceps averti non posset. Si namque gravis ille fuisset, haud quaquam credibile videtur esse, parentes ipsos ab naturali amore tantopere potuisse desciscere, ut filii sui in extremum vitae discrimen conjecti medicam curationem oscitanter negligerent.

20 Caeteroquin haud ita raro infantibus morbo ejusmodi laborantibus naturam vel ipsam opitulari videmus sic, ut absque ulla curatione tertio demum aetatis anno, aut paulo serius perfecte convalescant. Non autem hic agi de rachitico viru corporis naturæ insito ex nullo symptomate evento haud obscure derivatur. Neque enim vel alvi tumor, vel capitis exuberans moles, vel febris accessio, aliaque signa probantur, quae lethalis rachitides praeseferre solet.

21 Fortassis nonnisi nutritionis defectus ex ignota aliqua causa progenitus impedimento erat, quominus pueruli crura & pedes carnem induerent, ac firmitatem obtinerent. Hinc illis adhuc exiccatis vis deerat ad naturales motus ciendos. Deinde fieri utique potuit, ut in magno illo naturali nisu, quo infantes ad regularem corporis evolutionem tendunt, nutriens tandem succus reliquis pueri membris, ac nervis accesserit, caro succreverit, ac, musculis obfirmatis, recte valuerit ipse consistere.

22 Insuper, ut de Miraculo invicte constet, morbi status innotescere apprime debet, qui *immediate*, vel saltem *proxime* sanationem praecesserit. Verumtamen causae hujus acta ita se habent, ut hoc legis praescriptum demonstrari nulla ratione possit. Compertum namque habemus, Gasparem antequam sanationem fuisset consequutus, aliquod temporis spatium transegisse penes Aviam alio in oppido commorantem. Quod quidem tempus licet incertum sit, attamen haud breve fuisse comperimus » *Sum. pag.* 105. §. 46. & pag. 104 §. 43. & 44. Haec mulier, quum jam e vita migrasset, legitimo examini subjici nequivit.

23 Reliqui autem testes, qui alibi moram suam interim habebant, nihil *propria scientia* potuerant referre, quod pertineret ad postremam hujus temporis partem, quæ sanationem antecessit. Quo fit, ut ea prorsus ignoremus, quæ quidem dignoscere maximopere interesset. Itaque incerti hæremus an morbi symptomata interea temporis decreverint ita, ut dehinc puer ille convalescere naturaliter deberet. *Quibus* enim, ut Heisterus scribit, *morbi symptomata non augentur, sed potius minuuntur non est, quod de eorum salute dubitetur* „ *Instit. Chirurg. P.* 1. *lib.* 3. *Cap.* 12. §. 4. *in fine.*

24 Præterea optimo jure ex hoc facto conjicimus, Aviam ipsam nepotis sui amore ductam medicamina ipsi largitam fuisse, quæ in corpusculo, quod nullam antea medelam fuerat expertus, tam efficacem actionem valuerint exercere, ut citius ad perfectam sanationem advenerit. Quibus adjicienda est victus, atque aeris fortasse purioris mutatio, quæ plurimum ad ægritudinem repellendam potuit conferre. Profecto hæc omnia conjectando assequimur. Ast conjectationes ejusmodi maximum ponderis obtinent, donec postremus morbi status plane lateat.

25 Atque hæc naturalis sanitatis assequendæ ratio, quam hactenus explicavimus, eo magis evincitur, si ejus adjuncta animadvertamus. Non enim *instantanea* illa fuit: etenim ex testimoniis accepimus, primo quidem puerum aliquos protendere gressus potuisse, deinde consequentibus diebus deambulasse = *colle gambe già rinsugate* = *Sum. N.* 15. *p.* 105. §. 48. = Quæ sane locutio satis ostendit, carnem in Gasparis cruribus, ac pedibus haud ita confestim eminuisse, sed paulatim potius in dies excrevisse, quemadmodum naturæ virtus suis in operibus progredi assolet.

26 Neque moralem saltem *instantaneitatem* habuisse locum potest contendi: siquidem eo temporis spatio natura ipsa virtutem suam exercere valuit. Quocirca ita nos commonet Benedictus XIV. *lib.* 4. *p.* 1. *Cap.* 8. *N.* 22. = *Monemus tamen cautos, prudentes, et severos esse debere judices in proferendo de instantaneitate judicio, cum saepe intra modicum tempus viribus naturae morbus expelli possit, et profligari* =

27 Cum igitur nec morbi gravitas patefiat, nec naturalis virtus in hac sanatione *impossibilis*, vel saltem omnino *difficilis* probetur, certe Miraculum ex ea nullatenus deduci posse videtur.

TERTIUM ASSERTUM MIRACULUM

In Positione Septimum

Instantaneæ Sanationis Joannæ filiæ Philagii Pallà, a pessimo lepræ genere.

28 Prætermissum fuisse eorum examen, quorum maxime interfuisset testificationes expendere *Primis Animad.* §. 1. meus Antecessor satis ostendit. Mirum hinc non est, quod ex Testibus, qui adferuntur non ea erui queat morbi descriptio quae ejus qualitatem, et gravitatem accurate declaret. Ac revera eorum testificationibus, quæ pæne ex condicto adstructæ videntur esse, nihil aliud perhibetur, nisi Joannam *pessimo leprae genere* fuisse affectam. Quæ autem lepræ species potissime fuerit, haud quaquam definitur. Saue leprae genus *pessimum* fuisse Testes asserunt. At vero cum ad S. Congregationem omnino pertineat de morbi qualitate, aut gravitate judicium ferre, idcirco haudquaquam debemus Testium sententiae absque ulla disquisitione adquiescere.

29 Neque vero symptomata ab iis indicantur, ex quibus leprae species pernosci possit. *Medici*, uti edocet Benedictus XIV. *lib.* 4. *P.* 1. *Cap.* 17. *N.* 3. = *constituunt haec esse signa leprae propria cutem videlicet nunc livescentem, nunc flavescentem, et rubro nigricantem, unctuosam, rugosam, furfuraceam, nodis, tuberculis, et impetigine conspurcatam, aures tensas, narium pinnas tumidas, gravem in aegrotante pruritum, quamvis vix humor a cute per scalpturam emittatur.* Age vero nihil de hisce signis perspectum ex actis est. Quare minime potest a nobis constitui, utrum lepra, qua Ioanna infecta fuisse dicitur, ejusmodi esset, ut quamlibet naturalis sanationis spem removeret.

30 Quamquam si ex iis, quæ nobis constant, morbi statum dimetiri velimus, non adeo gravem illum fuisse deprehendimus. Testes enim referunt = *vitiato cutis colore manum, et*

pedum digitos omnes faetido ulcere putridos , sanie et faetore scatere „ At vero si hujusmodi lepra pessima reapse fuisset, ecquomodo, *vitiato* tantum *cutis colore* , reliquae corporis partes ab sanie incolumes reliquisset? Profecto, si lethalis illa fuisset infectionem suam desaevientem latius in dies extendisset, ac totum corpus sanie ubertim profluente inquinasset. Haec igitur infectio eatenus circumscripta quae a majori incremento diu abstinuit , perspicue significavit , non ita gravem puellae morbum fuisse , ut naturae ipsius viribus sanari non posset.

31 Ac minus certum videtur esse Testium argumentum , qui ex faetore, ex unguium solutione, atque ex digitorum contractione pessimum leprae genus coarguerunt . Ejusmodi adjuncta tanti non sunt , ut morbi gravitatem certo confirment. Fuerunt quippe effectus puris , quod , natura ipsa duce , quandoque conficitur. Atque illud quidem in diutina, atque uberi expurgatione deinceps decrescens sic sensim deficit , ut membrorum fibrae , ac musculi demum perfecte emundati inter se cohaereant , atque coalescant.

32 Neque ex medica curatione incassum adhibita insanabilis morbi status posset inferri. Etenim expedit in mentem revocemus axioma illud ab veteribus , iisque cordatis salutaris artis Peritis receptum , quod a Neotericis saepe negligitur „ *morbos nimirum natura ipsa depelli, ac Medicum revera nonnisi ejus administrum esse* „ Itaque incredibile non existimaverim , naturam ipsam omni medicamine posthabito , ac medicis plane semotis , tantopere vires suas in puellae corpore exercuisse , ut incolumis tandem a morbo evaserit.

33 Quod ideo rectius arguentes complectimur , quia postremum morbi stadium nequaquam compertum habemus. Hinc namque merito ambigimus , utrum , priusquam Ioanna ad locum duceretur , ubi Venerabilis De Britto mortem obiit , *morbus esset in ultima parte sui status ita , ut non multo post naturaliter declinare debuerit* ; veluti Benedictus XIV Hippocratis auctoritati subnixus semper advertendum esse praescribit *lib. 4. p. 1. Cap. 8. N. 6.*

34 Quid si menstruorum fluxus tunc temporis intervenisset, qui noxios humores ejiciens Joannæ sanationem expeditiorem reddiderit? In decenni autem puella id potuisse contingere non est demirandum , utpote quæ in iis regionibus degeret, ubi humorum præsertim superfluitate impellente , menstrua excitari maturius consuescunt. Quod ratum habere si quis nollet, non deest tamen ratio, cur majorem ipsius ætatem, antequam sanitatem consequeretur, fuisse arguamus.

35 Ac reapse decem annos nata ipsa erat , cum Chirurgus Philagius ad eam accessit. Hic solus ægram aliquandiu curavit. Deinde sex mensibus Chirurgus alter præsto ei fuit. *Post hæc* uti Testes XXXIV. & XXXV. affirmant, per *multum tempus nullo adhibito medicamine , saniori consilio, Avia Joanna*

infirmam puellam ad locum Martyrii V. P. Joannis De Britto transtulit. Quæ si una conferamus, quis non videat multum illud temporis, quod ante sanationem fuit elapsum, satis superque fuisse, ut Joanna duodecimum ætatis suæ annum egressa esset, ac proinde menstruorum beneficio malos humores abstergere posset?

36 Hæc naturalis sanatio per ejusmodi crisim impetrata clarius liquet si sanationis modum perspiciamus, qui sane *instantaneus* minime fuit. Quandoquidem puella *quatuor inter dies*, uti Testes inquiunt, *sana apparuit.* = *Sum. p.* 106 *N.* 6. *et alibi* = Cum autem morbum, de quo agitur, neque ratione suæ indolis, neque ratione sui progressus insanabilis probetur, *instantanea* sanatio ex legis præceptione demonstranda prorsus esset.

37 Novi equidem de catameniis ne verbum quidem Testes proferre. Verum merito est conjiciendum, eorum mentionem ab iis fuisse omissam, vel quod ipsa ne cognita quidem habuerint, vel quod eorum relationem supervacaneam duxerint. Quæ cum ita sint liceat mihi hanc disceptationis partem cum altero ex AA. Suffragantibus ita concludere = Quomodo = ergo, dum ætas catamenia ferret, dum nullus ea defuis- = se dicat, dum instantanea desideretur sanatio, miraculum = conclamabimus? =

38 Agedum præstat postremum, quod asseritur, miraculum ad examen revocare.

QUARTUM ASSERTUM MIRACULUM

In positione octavum

Instantaneæ Sanationis Puellæ Filiæ Petri & Clementiæ ex Oppido Vettivaies a nativitate mutæ, & paralyticæ.

39 *Usque ad septimum ætatis annum nec verbum aliquod proferre; puellam novisse, nec humi pedem figere valuisse* Testes affirmant: *Siquidem ab ipsa nativitate sine carne, & sine sensu ad femur usque fere mortua utraque crura nec movere, nec firmare unquam poterat. Sum. num.* 109. *N.* 17. §. 1. *et seq.* = Tum a nativitate mutam, & paralyticam illam fuisse a Postulatoribus colligitur.

40 Quando de hisce morbis agitur plura animadvertenda esse præcipit Benedictus XIV. *lib.* 4. *P.* 1. *Cap.* 12. §. 16. = ibi = = Cum in S. R. Congregatione aliqua Sanatio a paralysi pro- = ponitur recensenda inter miracula, non modo status præ- = cedens morbi, & status subsequens perfectæ Sanationis,

= & momentaria sanatio sunt advertenda; & quando asseritur = in morbo non tantum motum, sed etiam sensum fuisse = deperditum, videndum est quommodo sensus amissio, qui- = bus experimentis, quo tempore, num longe a sanatione, = an prope probata sit: verum & Physicorum auxilio cau- = sa morbi ponenda est in aperto, symptomata, medica- = menta si fuerint exhibita, & quæ fuerint, si exhibita sunt, = ponderari debent: omnia demum advertenda, ne suspi- = candi locus supersit, paralysim ex illis esse, quæ natura, = vel arte momento expelli possunt = Nec secus præscribit quoad loquelæ impedimentum = *ibid. Cap.* 10. *N.* 9.

41 Verumtamen a Testibus medicæ scientiæ prorsus ignaris tam parce, ac prope dixerim perfunctorie utriusque morbi status refertur, ut ne eorum quidem causa dignosci queat. In hac igitur morbosæ indolis ignoratione, ac probationum inopia morbi utriusque causa derivari satius posse videtur ex humorali corporis affectione, quæ regularem etiam nutritionem præpedierit. Hinc linguæ ad loquendum impotentia, hinc cruribus, ac pedibus congenita extenuatio, atque exilitas. Quae tamen vitia talia non sunt, ut ab iis pueri, dum interim adolescant, sese eximere nequeant.

42 Puellæ crura sensu destituta esse dicuntur, sed nullum adfertur experimentum, quod ejusmodi destitutionem ex doctrina Benedicti *XIV.* mox relata confirmare debuisset. Quocirca jure suspicamur, puellam loquendi, atque ambulandi *potentia* non omnino caruisse, sed potius humorum exuberatione, ac nervorum torpedine hànc fuisse impeditam, quominus *in actum* sese eliceret. Quod denique contigit statim, ac aliqua supervenit causa, quæ humores congestos disjecerit, ac nervos jamdiu torpentes concitaverit. Vel ipsa sanationis historia id apprime suadet. Aegra enim eo ducitur, ubi Venerabilis Joannes interfectus est, ibique pedibus apprehensa insano prope æstu huc illuc a suis distrahitur, qui interim clamitant, *se eam velle aut mortuàm, aut sanam.* Exinde factum profecto erit, ut vehementi concussione, atque ingenti metu perculsa vel maxime excitaretur. Jamvero, quid non concussio? quid subitus non efficit timor ad linguam enodandam, ac paralysim avertendam?

43 Plura exempla recenset Benedictus XIV. *lib.* 4. *p.* 1. *Cap.* 12. *N.* 11. ex quibus naturalis paralysis sanatio clarissime fit explorata. Idem Cap. 10. Num. 8. exempla profert *ab iisdem Physicis, & Medicis relata de Mutis & Surdis loquelam, & auditum naturaliter recipientibus.* Ad extremum addit, Stalpartium in notis ad observationem 5. pag. 41. *casus cumulare aliorum qui ex improviso, et vehementi animi motu ex mutis loquentes facti sunt . . . nec non quorumdam, qui infantes muti fuerunt, et aetate ipsa postea sanati clare locuti sunt.*

44 Quamobrem ad rem apposite animadvertit Gaspar a Rejes *quæst.* 79. *num.* 20. = ibi = Constat siquidem per animi affectus ita » totum corpus affici, ut repentina etiam alteratione humo- » res etiam impacti, & crassi a sua sede moveantur. Quod » licet omnes animi passiones efficere valeant, in metu, & » ira multo promptius contingit, ut in illo qui ignis metu » paralysim, & artuum torporem excussit. »

45 Ex hisce omnibus perspicue patet quommodo naturali virtute Joannæ sanatio perfici potuerit, quin miraculo fuerit opus.

46 Sed alia insuper obsistit exceptio, quæ ad miraculum inficiandum sufficeret. *Instantanea* namque sanatio, quam in hisce morbis Benedictus XIV. peculiari quadam animadversione requirit, nullatenus probatur. En testimonium luculentissimum, quod legimus *Sum. pag.* 110. *n.* 7. §. 4. = *Quo facto stetit illa aliquantulum suis pedibus, et aperiens os suum cibum petiit, quod ad eam diem nunquam fuerat. Post hæc domum redeuntes nullo adhibito remedio INTER OCTO DIES non sine ingenti admiratione, & gaudio illam expedite loquentem, & huc illuc deambulantem, hilariterque prosilientem vidimus..* = Idem confirmatur §. 7. *et seq.* =

47 Itaque puella non statim constitit, neque ambulavit, sed *erecta manibus stetit aliquantulum suis pedibus.* Tum verbum aliquod emisit, quod Indorum idiomate fortassis ad cibum petendum satis fuit. Denium, octo diebus interim labentibus, pedetentim ambulare tutius valuit, & lingua sensim soluta loquendi facultatem adepta est. Quis porro in hujusmodi facto non adverterit naturam vires suas exerentem, ut puellæ sanationem paulatim perficeret?

48 Quamquam quid plura persequar? Perspicuum oppido argumentum suppetit, quod rem omnem absolvere videtur. Morbus uterque, quo Joanne laboravit, natura insanabilis non erat. Quapropter instantaneæ sanationis probatione necesse cum primis esset. Cum autem ex Causæ actis ejusmodi *extremum* demonstrari nullatenus possit, profecto si legis præscripto diligenter obsequi velimus miraculum rejici omnino debet.

49 Quibus ita se habentibus, disceptationem hanc nostram jam summatim contrahamus par est.

50 Quæ hactenus de hisce quatuor sanationibus disseruimus, luculenter ostendere videntur miraculo eas adsciscendas non esse. Quod si quævis dubitatio ad miraculum excludendum sufficit, equidem non video quomodo adprobari queant *adserta miracula*, quæ nulla fide dignis Testibus constituntur, quæque iis carent *extremis* ad eorum probationem notissimo jure requisitis.

51 Interim vero, ne in hisce causis sane gravissimis minus consulto agere videamur, prudens AA. suffragantium consilium

exigit, ut probus seligatur medicæ scientiæ Doctor, qui Periti munere fungens conquisitam morbi diagnosim referat, naturæ vires expendat, neque hujus assuetam tantum rationem, sed *anomalias* quoque accurate dispiciat, priusquam certam animi sui sententiam ingenue patefaciat.

Quæ dicta sint sub censura, salvo &c.

ANDREAS MARIA FRATTINI SAC. CONSIST. ADV. ET SANCTÆ FIDEI PROMOTOR

MELIAPUREN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SEU

DECLARATIONIS MARTYRII

VENERABILIS SERVI DEI

JOANNIS DE BRITTO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

RESPONSIO

AD NOVISSIMAS ANIMADVERSIONES

R. P. FIDEI PROMOTORIS

SUPER DUBIO

An constet de Martyrio & causa Martyrii; nec non de Signis seu Miraculis in casu & ad effectum de quo agitur.

BEATISSIME PATER

1 Labente seculo XVII. Ven. Servus Dei Joannes de Britto Sacerdos Professus e Societate Jesu, Ulysippone nobilissimo genere natus, post plurimos exantlatos labores in Madurensi Missione, ad quam se contulerat succensus zelo propagandæ Christianæ Religionis apud infideles illas gentes; post plura hominum millia a se sacro baptismatis fonte expiata,

fractus assiduis ærumnis, carceribus, suppliciis & exilio mulctatus, tandem a Maravarum Regulo comprehensus, multisque ludibriis poenisque affectus die quarta Februarii anni 1693 capitis sententia damnatus est; atque ita illustri sanguinis testimonio eam fidem confirmavit, quam verbi Dei prædicatione, virtutum exemplo, & mirabilibus etiam signis dilataverat. Quam coelo gratissima esset invicti Martyris constantia, Deus ipse, patratis ad ejus intercessionem pluribus, iisque illustribus Miraculis, declaravit, ut videre est in Summario primæ Positionis.

2 Fama autem tum Martyrii, tum Miraculorum adeo pervulgata est, atque ita constans & inconcussa penes illas orientis regiones perseveravit, ut hoc etiam tempore floreat, & in dies magis augeatur. Qua in re testimonium habemus Illustriss. D. Alexii Chanoz Episcopi Tomassensis & Vicarii Apostolici Madurensis, qui in suis ad Sanctitatem Vestram litteris affirmat, memoriam Vener. Servi Dei adhuc in benedictione esse, utpote qui ab omnibus, & ipsis etiam ethnicis tamquam Martyr habeatur. Nec minoris ponderis sunt probationes, quae ad confirmandam relevantiam Martyrii & Miraculorum afferuntur. Ut enim taceamus de iis qui testantur ab auditu immediato a videntibus, plures sunt testes de visu & facto proprio, quorum alii deponunt de captura, alii de suppliciis, de sententia, de actu ipso mortis, omnesque sunt viri probi & ex attestatione Judicum delegatorum omni exceptione maiores, inter quos numerantur etiam fortissimi Confessores, qui una cum V. S. Dei capti sunt & poenis affecti. Ex quibus omnibus tam plena & evidens exurgit probatio, ut non diffiteamur repetere, quod in præcedenti Positione antecessores nostri asserere non dubitarunt, nullam scilicet Martyrum causam, quæ per tot actus probata sit, agitatam fuisse in hac Sacra Congregatione.

3 Nihil itaque ulterius ad ejus optatissimum exitum requiri videtur, quam infallibile Sanctitatis Vestræ judicium quod propitium fore confidimus, præsertim sublatis e medio Novissimis Animadversionibus, quas Reverendiss. P. Fidei Promotor pro munere suo exaravit, ut dilucida ex omni parte veritas elucescat.

DE NOVO DOCUMENTO

Allato a Reverendiss. P. Promotore.

4 Reverendissimo P.F. Promotori jure merito gratulati sunt Postulatores in præcedenti Positione, quod ex archivo Urbano S. Congregationis de Propaganda Fide duo egregia documenta sua sponte produxerit, quæ tum relevantiam Martyrii, tum notorietatem Miraculorum Ven. Servi Dei mirum in modum confir-

mant. *Animadvers. num.* 3. & 4. Quamquam enim hujusmodi extrajudiciales attestationes in Causis per viam non cultus procedentibus vim tantum adminiculi habere dicantur, ut docet Benedict. XIV. lib 3. de Can. SS. C. 8. & 9; nemo tamen non videt, testimonium præsertim primum, quod est hominis hæretici testantis de eo quod cedit in gloriam Catholicae Religionis, maximum pondus, si recte inspiciatur, habere, quum in eum nec suspicio credulitatis, nec affectionis cadere possit, ac proinde sit testimonium ex ore ipsius inimici vi clarissimae veritatis expressum.

5 In hac autem postrema Positione novum aliud documentum, nescimus quo loco depromptum, in medium attulit modernus Reverendiss. P. Fidei Promotor, plane contrarium, quod prima fronte videtur totam penitus Causam labefactare. Iuvat in primis unum cum altero tantisper conferre. Illud est pars epistolæ cujusdam Joannis Noot hæretici Batavi; istud pars etiam epistolæ cujusdam Fr. Renati Franciscalis Capulati, ut præfertur: quarum prima scripta est die 9. Decembris an: 1693, ideoque synchrona omnino Martyrio, utpote exarata nono mense, ex quo Servus Dei in odium fidei occisus est; altera data est die 26. Octobris an: 1746, scilicet, post annum quinquagesimum ab obitu Servi Dei. Testatur ille de Martyrio & de Miraculis, tamquam de rebus in ea regione notissimis & certissimis, quibus omnes illi populi commoti fidem catholicam susceperunt; conatur iste infirmare probationes quæ ex testium depositionibus exurgunt circa relevantiam Martyrii & Miraculorum. Ille neophytorum pietatem & fortitudinem, qui se sponte martyrio obtulerunt, summis laudibus effert; hic videtur eosdem neophytos tamquam timidos, mendaces, periuros, superstitionibus & commentis deditos traducere. Primus, licet Calviniana labe infectus ac proinde catholicæ religionis, ejusque ministrorum adversarius, nihil tamen nisi temperatum de missionariis catholicis loquitur; alter vero, prout præferunt eius verba, exulcerati animi propter aliquas fortasse simultates erga eosdem missionarios non levia præbet indicia. Ex qua comparatione jam satis inferre licet, utri adhibenda fides hac in re, juxta severiores critices regulas, quas in loco citato late pertractat Benedict. XIV.

6 Cæterum tantum abest, ut allatum documentum, licet specie tenus contrarium, Causæ obesse possit, ejusque probationes minima ex parte infirmare, ut non dubitemus asserere ex facili ejus solutione fore ut luculentior veritas appareat, & totius Causæ firmitas magis ac magis roboretur. Sed antequam ad ejus discussionem propius accedamus, operæ pretium erit quædam præliminaria ad modum historiæ præferre, quæ necessaria sunt ad ea, quæ postmodum dicturi sumus, confirmanda.

7 Causa Ven. Servi Dei Joannis de Britto in hac S. Congregatione introducta est eo tempore, quo maxime fervebant tum

in Indiis tum hic Romæ quæstiones de Ritibus Malabaricis. Non ignorant sapientissimi Patres, quales hinc inde exortæ fuerint controversiæ; quis animorum ardor; quæ contentiones, quæ scripta etiam fuerint typis vulgata: neque pariter ignorant actores ex utraque parte, quod infirmitati naturæ tribuendum est, aliquid humani passos, dum suam quisque sententiam pro conscientia tueretur. In hoc igitur rerum statu & in tanta animorum discrepantia, mirum non est, si ii, qui pro ritibus stabant, enixe contenderint, inane prorsus esse agi de introductione Causæ V. Servi Dei eo quod ipse, dum viveret, aliquot hujusmodi ritibus usus esset. Anno 1715. proposito Dubio de signanda Commissione, R. P. Prosper. De Lambertinis suas de more animadversiones dedit, quibus abunde satisfactum est in responsione Postulatorum. Sed quum non pauci ex adverso urgerent ritus Malabaricos a V. S. Dei adhibitos, contenderentque esse obstativum, Sacra Congregatio, ut hoc penitus removeretur obstaculum, sapientissime decrevit die 23 Martii 1715, ut iterum proponeretur Causa in prima Congregatione cum novis animadversionibus circa obiectos ritus: quod egregie præstitit idem Promotor, licet ingenue fateretur, nullam prorsus necessitatem fuisse hujusmodi instantiæ. *Quoties enim*, ait, *fit Causa Martyrii, nulla videtur habenda esse ratio quorumcumque Martyris defectuum, qui Martyrium praecesserunt; cum id expresse doceant non recentiores, sed antiqui; non theologi cujuscumque notae sed Ecclesiae Patres, nec exempla deficiant ab Historia ecclesiastica desumpta. Animadv. N.* 3. *Posit.* 1. *P.* v; quod deinde confirmat exemplis tum ab auctoritate SS. Patrum tum ab historia ecclesiastica desumptis. Hisce animadversionibus responderunt Postulatores ostendendo, præfatos ritus vel non fuisse superstitiosos, vel adhibitos a Servo Dei non utcumque, sed prout a Sede Apostolica ad eam diem fuerant permissi. Quare S. Congregatio sub die 11. Maii ejusdem Anni 1715. rescripsit *Pro Signatura Commissionis.*

8 Omnes sibi facile suadebant, hac ratione impositum esse adversariis silentium. Sed vana spes et inanis fiducia. Morabatur eo tempore in Indiis Fr. Norbertus a Barro-Duro; is qui postea tum ab Ordine Cappuccinorum, tum a Religione Catholica descivit, et saepius mutato nomine, modo Anglicanis, modo Lutheranis vel Calvinianis partibus favens, varias Europæ provincias peragravit, suamque operam posuit in edendis libellis, & interdum etiam in oppugnanda Religione. Hic multas in Indiis controversias & contentiones contra PP. Soc. Jesu excitavit, & mirum in modum exarsit in Causam V. S. D. jam in hac S. Congregatione introductam. Cujus rumores cum Romæ essent allati, RR. PP. post Congregationem Antepræparatoriam, habitam sub die 1. Julii an: 1738, ut in tam gravi negotio caute admodum procederetur, omnisque contradicendi occasio tolleretur, censuerunt unanimiter inquirendum, *an aliqui Ritus a V. Dei famulo in*

Missione Madurensi adhibiti obstare deberent, quominus in Causa ad ulteriora procedi posset. Quod Dubium quum ad Congregationem primum S. R. Universalis Inquisitionis a fel. mem. Clemente PP. XII, deinde a SS. DD. Benedicto XIV. ad Congregationem Ordinariam S. Rituum coram Sanctitate Sua habendam fuerit remissum, & successive die 22. Aprilis 1741 disputatum, tandem ab eodem Pontifice sub die 2. Julii ejusdem anni favorabiliter resolutum est, mediante Responso quod datur per integrum in præcedenti *Summar. Addition.*; quo cautum fuit; *Obiectos a Fidei Promotore Ritus non obstare quominus in Causa præsenti V. S. D. Joannis de Britto ad ulteriora procedatur, ad discussionem videlicet Dubii super Martyrio & Causa Martyrii, nec non alterius Dubii de Signis & Miraculis quæ ejus intercessione a Deo patrata dicuntur.*

9 Post editum hoc solemne decretum non siluit, ut par erat, Fr. Norbertus; qui in Europam veniens, primum gallice, deinde in italicam linguam redditum edidit librum tribus voluminibus distinctum, cui titulum fecit *Memorie Istoriche intorno alle Missioni Orientali* = ubi praeter insectationes contra PP. Societatis Iesu, pluribus in locis iterum affirmare ausus est, non posse procedi ad Beatificationem V. S. D. Ioannis de Britto, quin eo ipso Ritus Malabarici omni prorsus censura absolverentur. Quam sententiam iterum confirmavit in sua Apologia, quam typis vulgavit anno 1744, licet in eadem, ut declinaret invidiam de non præstita obedientia mandatis Sanctissimi, audacter assereret, nullam habuisse, dum Romae versaretur, cognitionem de Decreto in hac re edito.

Hanc excusationem, utpote ementitam, non censuit admittendam Benedictus XIV, qui propterea die 1. Aprilis 1745, ex occasione publicati decreti de damnatione et proscriptione ejusdem libri Fr. Norberti prout legitur in præsenti *Summar. Addition.*, hæc voluit inserta; *Quoniam vero P. Norbertus in suo libro sæpius refert, quod si unquam contigerit, Ven. Dei Servum Ioannem de Britto S. Iesu Beatorum albo adscribi, Malabares in eum facile devenient opinionem, usum Rituum vetitorum nullatenus officere sanctitati (quamvis in Apologia, quam exhibuit Sanctitati Suæ et Cardinalibus Congregationis S. Officii, fateatur nullam penitus habuisse cognitionem Decreti promulgati a Sanctitate Sua in Congregatione S. Rituum die 2. Iulii an: 1741, in qua de eodem Dei famulo agebatur, quod tamen Decretum typis Cameralibus editum, et locis in Urbe consuetis propositum defixumque fuit; quamvis etiam idem P. Norbertus in sua Apologia testari non praetermiserit observantiam, quam debet, et obedientiam Decretis Apostolicis, et huic præsertim, de quo verba instituimus) Sanctitas Sua præfatum Decretum confirmare iterum consentaneum duxit, uti re ipsa denuo confirmat, videlicet prædicta non adversari nec ullum impedimentum offerre, ne Causa ultro proferatur, dubiumque*

de Martyrio, et causa Martyrii, quod ille passus asseritur, expendatur, ac de signis et Miraculis, quae eidem Dei Famulo accepta referuntur, examen instituatur. Quippe, vel minime constat V. Ioannem de Britto Ritibus Malabaricis vetitis usum fuisse, postquam illos Romanae Sedis auctoritas damnavit, vel si id etiam constaret, si tamen Martyrium deinde et ipsius causa juxta leges et instituta Ecclesiæ liquido demonstrabitur, superadditis quoque signis et Miraculis, omnis macula et labes anteactae vitæ, si quæ contracta fuerit, deleta sanguinis effusione, satisque expiata judicari poterit, quemadmodum intelligi potest ex Decreto superius allato, quod die 2. Iulii an: 1741. promulgatum fuit etc.

Haec Benedictus XIV, ut P. Norberti iteratas accusationes in V. Servum D. retunderet: qui tamen non resipuit, sed majora damna Ecclesiae paravit, ut refert idem Summus Pontifex in litteris datis die 11. Novembris 1747. ad Apostolicum Nuncium in Belgio, ubi ejus mendacia et calumnias, dubiamque fidem late prosequitur.

10 Editis duobus Decretis superius commemoratis, Fr. Norbertus, qui jam graviora animo moliebatur, cessavit ab accusationibus in V. Dei Famulum: non ita tamen cessavere pauci ex ejus sociis, inter quos numerandus est Fr. Renatus, de quo, licet inviti et necessitate tantum compulsi obviam eundi Animadversionibus ex ejus Epistola excitatis, pauca referemus.

11 Ac primum, quod ipse Fr. Renatus fuerit non solum animo et amicitia, verum etiam opinione conjunctus cum Fr. Norberto, ita ut ejusdem vestigiis, errore et ignorantia, ut putamus, deceptus, inhaereret, non est ambigendum. Id enim clarissime eruitur tum ex profusis laudibus quibus passim in suo Opere eum cumulat Fr. Norbertus, tum ex ipsius Renati verbis, qui mira testatur de Norberto, hortaturque illum ut se contra Ecclesiasticam Potestatem muniat. Ait enim in Epistola ad eum data die 1. Decembr. 1739. = *Se si trattasse di autenticare qualche testimonianza intorno alla vostra vita e ai vostri costumi, per la cognizione da noi acquistatane nelle due diverse volte che siete stato con noi a Madrast, io testificherei volentierissimo spontaneamente di non aver scorto nei vostri costumi niente che non sia degno di un buon Religioso . . . Voi avete fissato di passar in Europa; aspettatevi di essere assalito dalla Potenza Ecclesiastica, e preparatevi alla difesa. Lett. Apologetiche del P. Norberto pag.* 46. Quam postea attestationem sua manu conscripsit et signavit die 15. Sept. 1744. = *Non ho mai ravvisato in lui cosa che degna non sia di un buon Religioso; ma bensì un grande zelo per la Religione, sentimenti degni del suo stato, diporti edificanti, e maniere gravi in tutto e modeste. Madrast, 15. Sett. 1744. F. Renato Cappuccino Missionario Apostolico nominato Custode.* Ibid. pag. 189. Quomodo hæc componantur cum iis, quæ in contrarium de indole, modestia et religione Fr. Norberti testati sunt ejus Superiores tum

in Indiis, tum Romæ, explicari non potest nisi ex necessitudine, quæ inter utrosque intercedebat.

12 Secundo; conveniebat etiam cum Fr. Norberto, invehendo contra PP. Soc. Iesu sub specie zeli, ut videre est in ejus Epistolis quæ referuntur in citato Opere Norberti. Imo jam ab anno 1704. quum mota esset Ponticherii controversia inter PP. Soc. Iesu, et PP. Cappuccinos, ipse Card. de Tournon Visitator Apostolicus causam judicavit in favorem PP. Societatis; sed quum P. Renatus ab ea sententia reluctaret, idem Emin. Visitator coactus est illum excommunicare. *S. Congregat. de Propaganda Fide. Meliapuren. seu Ponticheren. Censurarum et Parochiae. Summar. N. 5. litt. A. et B. typis de Comitibus* 1709.

13 Tertio; conveniebat denique cum Norberto Fr. Renatus in eo, quod uterque eadem sentiret & palam loqueretur de Ven. Servo Dei. Quod satis manifestum fit ex altera Epistolæ parte, quam innuit R. P. Promotor *Animadv. n. 3.*, in qua eadem omnino ad verbum expressit, quæ jam Fr. Norbertus edixerat de periculis & damnis, quæ oritura essent, si V.S.D. uti Martyr Apostolicæ Sedis decreto declararetur. Noluit R. P. sententiam referre, utpote quæ jam locum habere nequit post decretum SS. D. Benedicti XIV. Nostrum tamen est eam tantisper expendere. Scripsit enim Fr. Renatus hanc Epistolam anno 1746, scilicet post publicatum non solum primum S. Congregationis Decretum die 2 Julii 1741, sed post solemnem ejusdem confirmationem, quam gravioribus verbis Benedictus XIV. sub die 1. Aprilis 1745. in Fr. Norbertum produxerat. Quare si ex sententia Benedicti XIV. reprehensione dignus est Fr. Norbertus de prætermissa observantia & reverentia Decretis Apostolicis, multo magis arguendus videtur Fr. Renatus, qui post trinam etiam S. Sedis declarationem noluit aquiescere, sed obfirmato animo perstitit in sententia ac si nihil contra editum fuerit. Similiter dicendum est, quod si Benedictus XIV. non censuit admittendam esse excusationem Fr. Norberti de ignorantia Decreti, multo minus excusandus Fr. Renatus, qui tardius etiam scripsit post promulgata Decreta.

14 Quibus omnibus positis, nemo non videt testimonium Fr. Renati omni ex parte exceptionem pati, nec ulla ratione admitti posse ad testificandum extrajudicialiter in re tam gravi, attenta indole, animo, præjudiciis, & ipsa denique ejus agendi ratione, cum in aliis rebus, tum etiam in hac causa.

15 At ipse, inquies, non da se testatur, sed verba refert Patrum Societatis. Age vero, ad ea demum discutienda veniamus. Supponit F. Renatus ad confectionem Actorum de Martyrio & Miraculis V. S. Dei, corrogata fuisse testimonia tum Patrum Societatis, tum Tamulensium Cristianorum. Et quoad Patres Societatis ait quod = *in tali causa,*

in qua, quæ sua sunt, scilicet suæ Societatis gloriam nimis quærere possunt, non debent valere & probare = Animadv. n. 4. Atrox profecto injuria, a qua confutanda consulto abtinemus. Si enim tantisper admitteretur, consequens erit, Patres Societatis, non ut Religiosos vel etiam christianos, sed omnium pessimos habendos esse, omnique execratione dignos, quippe qui, ut sibi gloriam quærant, non timeant conscientiam lædere, mentiri, peierare, Sedem Apostolicam decipere, Deum ipsum fallere. Quod si axioma illud in Jure admissum, *Nemo reus nisi legitime probetur*, pro omnibus valet, multo magis valere debet pro iis qui publica honestatis & religionis existimatione gaudent. Sed de hoc satis; quum in casu nostro nulla adsit necessitas defensionis. Nam inter centum & triginta tres testes, qui deposuerunt de Martyrio & Miraculis V. S. D., duo tantum numerantur Patres Societatis; unus ex officio examinatus in *Process. Apost. Meliapur.* alter in *Processu Inform. Romano. Summar. pag. 1. Cotolog. Testium.* Ergo non innititur Causa testimoniis PP. Societatis.

16 Testes igitur sunt vel homines Lusitani, vel, ut plurimum Christiani Madurenses, qui soli aderant spectatores Martyrii V. S. D. Atqui hujusmodi *testimonia*, ait Renatus, *sunt malæ fidei suspecta, incerta, dubiis obnoxia, & consequenter Apostolica Sedes illis fidere non potest. Animadv. n. 4.* Cui ergo Apostolica Sedes fidere poterit, si manca est depositio juridica, & facta sub arctissimo religionis Sacramento a centum triginta testibus præ aliis electis, qui Christianam Religionem non nomine tantum sed opere profitentur, quique ex sua depositione nullum commodum aut honorem consequi, vel damnum aut vituperium vitare sperant? Possibilene est, ut omnes unanimiter in mendacium convenerint, atque ita uniformiter, ut ne ullus quidem indicia præbuerit falsitatis? Accedit, quod si isti ex eorum indole mendaces & perjuri habendi sunt, mendaces etiam et perjuri erunt Judices Delegati, qui apposite testantur de eorum *religione*, *sinceritate*, *candore*, *Summar. Addit. Posit. 2. pag. 3. 4. 5. 6*; mendaces erunt Episcopi Goani, Meliapurenses, Coccinenses, Cranganorenses, aliique, qui eadem confirmant disertis verbis. Quod quam sit absurdum, judicio sapientissimorum PP. relinquimus.

17 Unicum restat effugium, quod eadem de neophytis Tamulensibus referant & fateantur Patres Societatis. Atque in hoc profecto tota innititur attestatio Fr. Renati: *Audiat ergo Sanctitas Vestra quæ in ore meo ponunt ipsi RR. PP. Societatis super indole natura; et characteribus testium Tamulensium, Animadv. n. 4.* Quare si hanc attestationem deiecerimus, quod facillimum est, causa profecto pro nobis erit.

18 Refert itaque Fr. Renatus verba, quibus Auctor *Defensionis Indicarum Missionum* describit indolem Tamulensium ad hoc ut evincat non potuisse Illustriss. Patriarcham De Tournon haurire notitias certas ab Indis relate ad Ritus Malabaricos: & ex iis arguit idem Renatus, quod si in una Causa valere non debent Tamulensium testimonia, neque in altera valere debeant. Quod argumentum aliquid fortasse evinceret, si in utroque casu eadem ratio servaretur, maxime autem si in utroque casu *eadem de iisdem* edicerentur; quod omnino falsum est.

19 Sed antequam hoc probandum aggrediamur, advertendum ducimus; 1. Quod Auctor operis fuerit P. Franciscus Laines, is qui postea renunciatus est Episcopus Meliapurensis. 2. Quod librum hunc, hortatu Archiepiscopi Goani D. Augustini ab Annuntiatione conscriptum, palam ediderit Romæ typis Cameralibus, obtuleritque Summo Pontifici Clementi XI. 3. Quod hujusmodi liber in manibus fuerit R. P. Promotoris, ab eoque citetur in *Prima Positione. Animadv. n.* 35. *pag.* 147. nec tamen ipse, licet oculatissimus, viderit incohærentiam, quam sibi deprehendere visus est P. Renatus.

20 Re autem vera hæc incohaerentia nulla ratione subsistit: non enim, ut diximus, *eadem de iisdem* prædicantur. Afferemus hic integrum textum P. Laines, ex quo tota controversia procedit. Diximus autem *integrum textum*, quia a P. Renato mutilatum, corruptum, mutatumque est pro sua causa; ideoque in hac etiam parte infidelitatis et falsificationis arguendus est, quæ in re tam gravi notanda vel maxima est. Atque ut RR. PP. unum cum altero textu conferre possint, & infidelitatem citationis statim agnoscere; grandioribus litteris ea exscribemus, quæ a P. Renato vel omissa, vel ad alium sensum detorta sunt.

„ Ad ostendendum vix quidquam certi ab Indigenis co„ gnovisse Illustriss. Patriarcham, exponam hic quinam, & „ qua ratione consulti fuerint. Quos consuluit Illustriss. Pa„ triarcha, Indi erant; Indi orae maritimæ; & numero pau„ cissimi Indi erant. *Si Indorum, ac præsertim Tamulen„ sium, indoles in Europa nota foret, non esset opus plu„ ra dicere, ut Sanctitas Vestra cognosceret, quam difficile „ sit ab illis veritatem elicere.* Gens est cauta simul & su„ perba, quæ res suas non amat aperire iis, quos videt eo„ rum rerum admiratores non fore: *Gens est assentatrix „ quæ si cum alicujus auctoritatis viro loquatur, & norit „ quo propendeat, eam in partem et ipsa inclinabit, eaque „ libenter dicet, quæ libenter auditum iri crediderit; Gens „ est avara, quæ si lucrum aliquod sperat, aut damnum „ timet, nullo prope veri, falsique discrimine omnia ad vo„ luntatem interrogantis proferet; Gens est timida, quæ con„ cedere quævis malit, quam homini, quem reveretur, ob-*

„ sistere: *Gens est in verbis ambigua, quæ sepius tunc maxime dissentit, cum omnia videtur assentiri: Gens est parum sibi constans, quæ nunc hoc, nunc illud sentit, nunc verum, nunc falsum facillime dicit: Gens est, in qua, velut inter alios populos, docti pauci sunt, infiniti ignari; qui*, si sine ullo discrimine consulantur, *in maximos errores* abducent: Gens est, in qua litterarum monumenta pauca sunt, & quorum eruditio fere tota diversissimis opinionibus plena est. *Gens est, cujus Religio mille commentis* quotidie crescentibus involuta, vix quidquam inter illos habet certi non modo diversis Sectis, sed etiam ejusdem Sectæ hominibus inter se maxime dissidentibus. *Nihil hic dico, quod non mecum dicturi sunt quotquot Europaei illis gentibus familiarius usi sunt et cum eis commercia iniere, nihil quod non multi scriptores tradant.* Defens. Indicar. Missionum. Cap. IV. § 11. pag. 195.

21 Ex hac igitur exactissima comparatione, jam quisque videt a Fr. Renato ea fuisse omissa vel mutata, quæ animum, sensumque Auctoris coarctant et patefaciunt. Loquitur enim Auctor; 1. non de omnibus indiscriminatim populis Malabaribus, sed *præsertim de Tamulensibus.* Quum itaque in Missionibus Madurensibus, juxta eumdem Auctorem, sint quinque populi, vel nationes, *Tamulenses, Teluñgi, Canaræ, Marrastæ, et Panditi P.* 1 c. 1 *pag.* 4. ejus oratio hoc in loco, præsertim circa primos, necessario coarctanda est: atque inde eruitur quod solis præsertim Tamulensibus conveniunt ea omnia, quæ de eorum indole describit.

22 2. Neque de omnibus etiam Tamulensibus loquitur, sive ii christiani, sive idololatræ sint; sed de solis idololatris, quorum *Religio* ait, *mille commentis quotidie crescentibus involuta, vix quidquam inter illos habet certi non modo diversis Sectis, sed etiam ejusdem Sectæ hominibus inter se maxime dissidentibus.* Hæc omnia omisit Fr. Renatus ad hoc, ut inde erui posset, hic agi de fidelibus christianis. Subiungit enim; *Quid erit, Sanctissime Pater, si his characteribus tam malæ indolis addiderimus violentam ejus propensionem ad superstitionem, ad commenta, ad fabulas, ad facta mirabilia et portentosa? Gens est, ut in eodem loco dicunt PP. Societatis, cujus Religio mille commentis, quotidie crescit, Animadv. n. 4 pag.* 4. Atqui PP. Societatis de Idololatris sermonem *in eodem loco* instituunt. Quid igitur mirum si *tam malæ indolis* sint? Si propensi *ad superstitionem, ad commenta, ad fabulas, ad facta mirabilia et portentosa?* Nonne hæc eadem, non tantum de Tamulensibus, sed de omnibus cujuscumque regionis & sectæ Gentilibus pari ratione prædicari possunt?

Quod autem de solis idololatris loquatur hoc in loco Auctor, præter apertissimam totius orationis seriem, quam superius

recitavimus, ipsa Operis ratio et scopus ejusdem Auctoris id evidentissime evincunt. Contendit enim demonstrare, non pôtuisse Illustriss. Patriarcham haurire certas notitias circa Ritus Malabaricos, interrogatis paucis admodum Tamulensibus, qui in oris maritimis versabantur; quum ad hæc omnia probe cognoscenda debuisset loca mediterranea adire, missionarios, & Christianos Madurenses consulere. Hinc post allatum textum controversum, in eodem *Capite pag.* 198 subiungit = *Enim vero quosnam Sua Excellentia interrogavit? Non vidimus accersiri magistros peritos, non* CHRISTIANOS, *qui cum antea essent in sua superstitione versati, fidem amplexi essent. Ne quidem in oris maritimis, ipsaque in Urbe Puducherio, perquisivit magis peritos, qui ibi reperirentur, a quibus posset ea doceri, quæ ad Decretum ferendum erant opus.* Utrum hoc quod de Illustriss. Patriarcha Auctor affirmat, verum sit, nec ne, nostrum non est, neque hujus loci inquirere. De sensu Auctoris a P. Renato in suam sententiam male detorto unice nobis hic inquirendum est, dicimusque non de christianis, sed de idolatris evidentissime loqui.

13 Quare, ut ulterius progrediamur, dicimus 3. Quod ea, quæ de prava Tamulensium indole scripsit, ne quidem sint referenda omnibus indistincte Tamulensibus etiam idololatris, sed iis dumtaxat, qui ut inquit Auctor, *in oris maritimis versantur*, qui *de lucro faciendo magis quam de exploranda Religione sunt solliciti*, qui *rerum suarum sunt magis imperiti*, qui denique *sine ullo discrimine consuluntur.* Quid mirum si infimum hujusmodi hominum genus, uti in aliis locis, sic etiam in Indiis, sit gens *superba, avara, assentatrix, periura, dolosa*, et ad omne propemodum facinus proclivis?

{ Neque tamen inferendum est, ea, quæ de hac infima & vitiosa plebe prædicantur, de universa natione & populo pari ratione prædicari posse. Hinc, licet sæpius citatus Auctor tam multa dixerit de prava indole Tamulensium mercatorum, cum tamen Tamulensis nationis mores in genere describeret = *Inter nationes exteras*, ait, *paucæ admodum sunt nostris Tamulensibus ingenio pares; imo asserere possum repertos interdum a me fuisse, in una præsertim Triba Velalensi dicta, qui certe parum admodum concederent præstantissimis Europæ ingeniis, si eodem modo exculti fuissent*; *Defens. Mission. Indiar. P. 1. C. IV. pag.* 13. Et paullo inferius, quod ad rem nostram magis facit = *Morum honestatem Tamulenses sitam existimant in accurata legis, quam a natura hausere, observantia, & in cultu consuetudinum suarum, quas totidem legis naturæ principia aut appendices esse putant. Impietatem, sacrilegia, periuria vulgo detestantur & exhorrent, si aliquos excepe-*

ris, qui cum Deum nullum agnoscant nec sacrilegia, nec periuria consequenter admitti posse existimant. Ibid. C. V. p. 21. Ex quibus verbis satis evidenter deducitur, Auctorem alio in loco, quem nobis opponit Fr. Renatus, loquutum fuisse nec de omnibus idololatris, sed de iis tantum, qui *nullum Deum agnoscunt*, ac proinde nullam regulam morum servandam esse existimant: de aliis enim manifeste testatur, quod impietatem, sacrilegia, & periuria detestentur.

25 His itaque præmissis, luce meridiana clarius, ut videtur, apparet, quinam sit verus Auctoris sensus in opposito textu. Quare argumentum, ut vocant, *ad hominem*, quo Fr. Renatus usus est contra PP. Societatis relate ad Causam V. S. D., sponte sua corruit. Ad hoc enim ut vim aliquam habere posset, deberet probare, quod Testes omnes in Causa V. S. D. adhibiti fuerint *præsertim Tamulenses*, & quidem *Idololatræ*, & insuper ex iis qui *in oris maritimis versantur*, qui *nullum Deum agnoscunt*, qui *nulla Religione tenentur*, qui *sacrilegia & periuria admitti posse existimant*, qui *de lucro faciendo sunt magis solliciti quam de exploranda religione*. Sed quum omnes hujusmodi testes, si unum excipias Carnificem, qui deponit de facto proprio, fuerint Christiani ex omnibus populis Malabaricis, qui loca mediterranea habitant, vel Europaei, jam nulla potest esse comparatio. Verum est, quod Fr. Renatus eadem, quæ de Idololatris dicta sunt, affirmat etiam de Christianis = *Et ego certifico homines istius gentis etiamsi sint sacro lavacro regenerati semper retinere mordicus in sua natura incredibilem quendam furorem ad superstitionem, & esse credulam in supremo gradu. Animadv. n.* 5. *p.* 4. Sed primum, in hac tam gravi accusatione non sufficiunt verba, sed requiruntur probationes; præsertim cum omnes alii Auctores contrarium de Christianis testentur, ut videbimus. Deinde, testimonium Fr. Renati in hac re nullum est; quia quum ipse nunquam adierit loca mediterranea, sed tantum constiterit in oris maritimis, nequit testari de indole eorum, qui in internis regionibus vivebant, ac proinde neque de Testibus adhibitis in Causa V. S. D. qui *omnes aut quasi omnes*, ut fatetur ipse Renatus, erant ex *locis mediterraneis*, ubi *P. Joannes de Britto conversatus est.*

26 Cæterum si quispiam exquirat testimonia de vera indole, pietate, religione, sinceritate Christianorum Madurensium, præsto est idem Auctor *Defensionis Indic. Miss.* qui hoc argumentum late prosequitur per integrum Caput, cui titulum fecit: *Quales sint Christiani illarum Missionum*; ejusque verba, ne longius quam par est protrahatur oratio, dabimus in *Summar. Addition.* Quod si huic Auctori, qui per tot annos commoratus est in iis regionibus, testaturque de propria experientia, omnimoda fides adhibenda non

videatur, saltem denegari non poterit litteris responsivis Iudicum Remissorialium, qui *ex officio* & de re, de qua agitur, certiorem fecere S. Congregationem Rituum. Episcopus enim Meliapuren. §. 6. hæc habet = *Testes certo a nemine fuerunt instructi, quæ sciebant, candide & obsque fuco deposuerunt. Mihi omnino certum est, hujusmodi testes, aliunde fide dignos, mereri plenam fidem in suis depositionibus, eo vel maxime, quia sunt optime instructi in lege Dei, & præcepta bene observant, frequenter confitentur & communicant; a perjurando, præsertim tactis S. Evangeliis abhorrent, & audita excommunicationis sententia, timore non vulgari concutiuntur, nec in eis signum aliquod vel falsitatis vel titubationis animadverti, sincere enim, quæ in animo senserant, tam de visu deponebant, quam de publica fama.* Idem affirmat alius Judex Remissorialis = *Testes omnes & singulos omni fide dignos judico etc. siquidem homines omnino corde simplices, & summopere perjurium abominantes* &c. *judico, eos sincere, pro rei veritate, nullo instruente aut impellente, quæ sentiebant, veridice deposuisse.* Idem affirmat Tertius Judex Remissorialis = *Testes omnes & singulos pro sua cordis simplicitate, morum integritate, & maximo, quo jure afficiuntur, perjurii & excommunicationis timore, omnino in omnibus & in specie relate ad ea, quæ in hac Causa deposuere, fide dignos censeo* &c. Idem pariter affirmat Subpromotor Fidei in Epist. responsiva ad D. De Lambertinis Promotorem *Posit.* 11. *Summar. Addition. N.* 3. *a pag.* 3. *ad* 10.

27 Penitus ergo remanet soluta difficultas, quæ a novo allato documento oriebatur relate ad exceptionem omnium in genere testium; quum nulla ratione, imo in contrarium subsistant ea omnia, quæ ex documento erui præsumebantur. Quare ad alias Animadversiones excutiendas properamus.

DE MARTYRIO MATERIALI

28 Materiale Martyrium V. S. D. adeo luculenter ex testium depositionibus comprobatur, ut Reverendiss. P. nihil novi animadvertendum, sed ea tantum strictiori calamo indigitanda duxerit, quæ a prædecessore fusius fuerunt obiecta. Quare nobis etiam satis erit in memoriam revocare solidissimas responsiones, quibus hujusmodi difficultates plenissime fuerunt solutæ. Supplicamus autem RR. PP. ne graventur pro sua humanitate ea, quæ præsertim in superiori Positione tanta argumentorum copia & vi discussa sunt, præ oculis habere.

29 Concedit itaque R. P. *Animadv. n.* 6. quatuor esse Testes *de visu*, qui necem illatam V. S. D. probant & confirmant. Quod profecto non videtur parvi esse æstimandum; cum agatur de actis, quæ in partibus Infidelium confecta sunt. Si enim ad plenam probationem Martyrii materialis suffi-

ciunt vel duo Testes de visu, & expresse docent Castellini *de Can. SS. quæst. 7. num.* 105., Contelor. c. 18. *num.* 3. Card. Laurea, aliique, quibus adstipulatur Benedictus XIV. *de Can. SS. lib.* 3. c. 5., quum nos non duo tantum, sed quatuor Testes habeamus, & quidem omnes ex Processu Apostol., ut de aliis duobus ex Process. Ordin. taceamus, de cumulatissima probatione dubitari non poterit.

30 Quum hæc clarissima sint, conatur R. P. *Animadvers. n.* 7. testium auctoritatem infirmare. Et primum excipit contra Testem VIII. quod fuerit *infamis*, *infidelis*, *&* *periurus*. Sed quoad infamiam, probatum est *in Respons. ad Novas Animadv. a pag.* 11, *ad* 20., nullum adesse jus, quod repellat infames a testimonio ferendo in Causis Martyrum: imo consuetudinem adesse ut admittantur, prout revera admissi sunt in Causis Martyrum Gorcomiensium, & Fidelis a Sigmaringa. Relate vero ad infamiam, quæ oritur ex officio Carnificis, ut supponitur in casu nostro, nihil officit idoneitati testimonii, ut videre est in Causa S. Petri Martyris, cujus actus Martyrii probatus est ex testimonio fratris, & ejusdem sicarii, *apud Bollandianos die* 30. *Apr.*; & recenter etiam in Causa B. Petri de Arbues, cujus occisio probata est per quinque testes de visu, & erant quinque Sicarii.

31 Nescimus autem, an in Causis Martyrum luculentius testimonium haberi possit, quam depositio ipsius Carnificis, qui narret factum proprium, scilicet quod ipse suis manibus Servum Dei interfecerit. Quid enim certius exquiri potest? Quid evidentius ad confirmandum materiale Martyrium? Si alii testes, eo quod viderint actum Martyrii, plenam probationem faciunt, quid erit dicendum de eo, qui ipsum actum executioni mandavit?

Quare affirmamus non posse reiici in nostra Causa Carnificem Perumal ex titulo infamiæ, quin hoc ipso evidentissime comprobetur Martyrium S. D. Nam ideo rejicitur, quia ex occisione Servi Dei evasit infamis; ergo hoc ipso quod declaratur infamis, supponitur certissima occisio Servi Dei, seu ejus materiale Martyrium. Vel igitur R. P. contendit constare de infamia Carnificis Perumal orta ex nece inflicta V. Joanni de Britto; & tunc comprobat esse certissimum & constare de ejusdem S. D. materiali Martyrio; vel a titulo infamiæ Carnificem eximit, & tunc debet fateri adesse certissimum testem de visu & facto proprio, & ex eo probari Martyrium.

32 Sed hæc satis superque dicta sint; quum in casu nostro Perumal nec sit, nec ulla ratione dici possit infamis ex eo præcise, quod interfecerit V. S. Dei. Nam, si carnifices etiam *ex officio* nulla notantur infamia neque *juris* neque *facti*, ut docent Doctores, & arguit Castropal. *de Censuris disp.* 6. *punct.* 20. affirmans nullam posse in contrarium

citari legem vel civilem vel canonicam, multo minus reputandus erit infamis Perumal, qui non fuit carnifex *ex officio*. Mos est apud Maravas Populos, ut nulla determinata & certa persona constituatur, cui demandata sit executio sententiæ capitalis: sed Princeps ad hoc officium, quum opus fuerit, modo unum modo alterum e suis militibus sua sponte designat. Cujus consuetudinis testes habemus omni exceptione maiores, scilicet tres Judices Remissoriales, qui id aperte confitentur in suis litteris responsivis ad S. Congregationem, quorum testimonia relata sunt *in Summar. Addit. præced. Positionis, & in Respons. ad Novas Animadv. n. 39. pag. 16.* Nos hic exscribemus verba tantum secundi Judicis, qui argumentum de facto confirmat. *Inter Testes admisimus quoque Infidelem quemdam, qui V. S. D. Joanni de Britto caput obtruncavit; qui fortasse isthic indignus judicabitur, cuius testimonium ad tam sacrum Tribunal admittatur, utpote officio vilissimo: attamen cum in his Terris nullus sit Carnifex ex officio, sed ad arbitrium Principis pro qualibet vice aliquis ex militibus eligatur capitalis sententiæ executor, infamia non notatur, qui eam exequitur. De facto, ut in actis videre est, prius id exequi mandaverat cuidam Mattu, seu Margarito Palla, qui tamen tunc illius dignitatis erat, ut claves Palatii Principis & illius Castri apud se retineret, qui utpote christianus in V. P. capitis sententiam exequi detrectavit. Summar. Addit. num. 3. §. 13. pag.* 6. Possemus hanc rem confirmare ex consuetudine aliorum populorum orientalium; idem enim narrat sæpissime P. Bartoli in sua *Histor. Japponen.* commissam fuisse a Principibus sententiæ capitis executionem non solum militibus, sed etiam illustrioribus exercitus Ducibus. Sed superius allati testes sufficiunt in casu. Quare sicuti etiam hic in Europa infames non reputantur milites, quibus committitur, ut aliquem reum plumbeis glandibus interficiant, quum non sint ex officio interfectores, sed designati singulis vicibus a Duce & quidem indiscriminatim, pari ratione infamis censeri non debet Perumal, qui V. S. D. interfecit ex commissione Principis. Non potest ergo reiici testimonium Perumal *ex capite infamiæ*, quæ non subsistit in casu; & quæ, etiamsi subsisteret, non esset tamen ratio sufficiens exclusionis a ferendo testimonio, ut superius probatum est.

53 Sed neque excludi potest *ex capite infidelitatis*, quæ revera subsistit. Benedictus XIV. lib. 3. de Can.SS.c.7. proponit quæstionem,, an Infideles & hæretici admittendi sint in testimonium in Causis SS.; & illam affirmative resolvit, deductis pluribus argumentis ex juris dispositione, ex auctoritate Patrum, & ex praxi S. Congregationis. Et magnum profecto momentum semper posuerunt Patres & Doctores in attestatione Infidelis, si ea sit in favorem veræ fidei. *Satis*

firmum, ait Lactantius, *testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis, de vera Sapient. lib.* 4. *c.* 12. *Idque*, subiungit Benedictus XIV., *ut plurimum, accidit in Causis Martyrum: si etenim Infideles testentur, se mortem Dei Servo inflixisse ex odio in fidem, ab eoque atrocissima tormenta fuisse patienter tolerata, testimonium hoc multum proderit in Causa Martyrii*: & statim citat sex Martyrum Causas, in quibus a S. Congregatione admissi sunt ad probandum Martyrium vel hæretici, vel schismatici, vel judæi. Ergo animadversio petita ex infidelitate jam locum amplius habere non potest, cum quæstio jam definita sit; ac proinde reiici non potest Perumal, quia Infidelis, a testimonio ferendo in causa Martyrii V.S.D.

34 Restat igitur ultima exceptio, quod sit *perjurus*. Alludit R. P. ad hoc, quod Perumal deponat, se *uno ictu* truncasse caput V. S. D., cum tamen duo testes in Processu Ordinario dicant, *duobus ictibus* truncatum fuisse caput. Ergo Perumal mendax est & periurus.

Sed licet concederemus aliquam in his verbis adesse contradictionem, quum tamen hæc non respiciant substantialia depositionis & facti, sed tantum accidentalia, non inde sequeretur quod Testes sint mendaces vel periuri. Conveniunt itaque omnes Testes in occisione Servi Dei, & unanimiter deponunt, truncatum illi fuisse caput. Utrum autem hoc factum sit *uno* vel *duobus ictibus*; nihil refert ad substantiam rei, nec proinde ex hac varia dicendi ratione infirmatur auctoritas testium. Et hæc est doctrina Angelici Doctoris, qui *in* 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 10. ait; *Si vero sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, puta si tempus fuerit nubilum, vel serenum, aut aliquid hujusmodi, talis discordia non prejudicat testimonio, quia homines non consueverunt circa talia multum sollicitari, unde facile e memoria elabuntur*. Quam regulam sequuntur Juristæ in causis tum civilibus tum criminelibus; & eam sequuta est S. Congregatio in pluribus Causis Beatificationis, ut dictum est in *Respons. præced. n.* 99. *pag.* 47.

35 Quid autem, si nulla sit contradictio, etiam in his accidentalibus? En igitur factum. Ter Perumal usus est gladio in V. S. D. Primo, ad abscindendum funiculum, ex quo pendebat theca Reliquiarum, quam S. D. ad collum gestabat, & in qua putabat carnifex latere præstigia, quæ sibi nocere possent; & hoc refert *P. Maldonado in Hist. Certaminis V. S. D. pag.* 5. Secundo, ad rescindendum caput V. S. D. ut ipse deponit. Tertio, ad separandum e busto caput jam rescissum, quod tenui cute a parte anteriori hærebat collo, ut narrat *P. Franco in anno glorioso die* 4. *Februar.* = *tenui tantum cute gutturi hæsit caput abscissum*. Jam ve-

ro Perumal in sua depositione non dicit, se *semel* tantum vibrasse gladium in Servum Dei, sed *uno ictu* recidisse caput, quod verum est ad litteram. Alii autem Testes cum P. Maldonado rem distinctius explicantes loquuntur tum de ictu quo caput rescissum est, tum de alio ictu quo illa pellis secata est. Sed in proprio sensu non *ictus* dicendus est, sed secatio pellis. Et revera cum Perumal concordant alii Testes. Testis IX. ait = *uno ictu amputatum caput in partem anteriorem prosiliit*, *Summar. pag.* 45. §. 23. Testis **XLVI.** *Con un colpo gli fu troncata la testa*, *Summ. pag.* 65. §. 128. Testis **XLVII.** *Inchinando la testa*, *questa troncata che fu con un colpo cadde per l' avanti*, *Ibid. pag.* 68 §. 145. Ergo cum his componendi sunt alii duo Testes Processus Ordinarii, qui *proprie* loquuntur de *uno ictu*, *improprie* de secundo. Et revera quod ita se res habeat, manifestius adhuc apparet. Nam illi duo Testes sunt Casturi, & Joannes Socii passionis V. S. D. Habemus autem ex depositione Testis XLVI., qui affirmat ex relatione eorundem, caput *uno ictu* abscissum fuisse = *Per relazione di Casturi*, *e di Giovanni so*, *che un sol colpo le fu troncata la testa*, *Summ. pag.* 65. §. 127. Ergo & ipsi duo Testes Processus Ordinarii, qui nobis opponuntur, *proprie* loquentes confirmant depositionem Perumal. Ergo nulla est in Testibus contraditio; ac proinde nulla ratione argui potest Perumal de mendacio vel periurio. Quum igitur omnes exceptiones ex titulis *infamiæ*, *infidelitatis*, & *periurii* non subsistant, & plenissime sublatæ sint, admittendus est Testis VIII. de visu in Causa Martyrii V.S.D.

36 Diutius immemorati sumus in vindicando hoc te.timonio, quia cum agatur de facto proprio, maximæ est auctoritatis. Relate vero ad tres alios Testes faciliori ratione dissolvuntur exceptiones, quæ jam late discussæ sunt in præcedenti *Respons. a pag.* 35. *ad* 48. Opponit ergo R. P. contra Testem IX. Muttu, seu Margaritum militem, quod fuerit *vilis*, & *suis moribus prope Ethnico similis*. Et primo, quoad vilitatem, unde constat Muttu *vilem* fuisse? Si Processus consulamus, contrarium apparet. Testis enim **XXXIX.** de ipso loquens = *Muttu Palla*, inquit, *parimente Cristiano*, *soggetto tenuto allora in tanta supposizione*, *che aveva in suo potere le chiavi della fortezza*, *e Palazzo di Oriur*, *Summ. pag.* 55. *num.* 74. Quod idem confirmat Judex Remissorialis in citatis litteris responsivis. Quomodo ergo vilis habendus est, qui a Principe ipso constituitur custos Arcis & Palatii? An vilis dicendus est, quia fuerit *tenuis facultatis*? Sed miles erat, & miles in dignitate constitutus; ac proinde stipendia habebat & uti miles, & uti custos Palatii & Arcis. Forte non erat ditissimus, sed neque egentissimus. Num milites dici possunt viles & egentes, quum præter stipendia, habeant ea quæ ad victum & vestitum ne-

cessaria sunt ? Sed esto: fuerit etiam pauper . Adimitne fidem testi paupertas ? Negative respondent unanimiter Doctores etiam relate ad Causas Canonizationis , ut Matta p.4. c. 17. num. 9. Rosa in addit. ad tract. de execut. litter. Apostolic. num. 125., & præter alios Benedictus XIV lib. 3. de Can. 55 c. 6. ubi ait = *Paupertas fidem testi non adimit , ideoque pauperum testimonium , si sint honestæ vitæ admittunt Rosa , Matthaeaccius* & alii. Sicut ergo nullo jure excludi possunt a testimonio ferendo artifices, rustici , milites & alii ejusdem conditionis, licet sint tenuis facultatis, ita reiici nequit Muttu miles, quamvis divitiis non affluxerit.

37 Attamen, inquies, deerat conditio *honestatis* a Benedicto XIV. præscripta: imo Muttu, ait R. P., erat *suis moribus Ethnico prope similis*. At si maturius res inspiciatur , non videtur Muttu dignus pro sua sinceritate tam gravi censura. Interrogatus enim a Iudicibus Delegatis, utrum præceptis Ecclesiæ satisfecerit, ingenue & magno animi candore confessus est, se *aliquoties ob aliqua impedimenta annuæ confessionis præcepto non satisfecisse* ; *& vivente prima uxore alteram duxisse, & ob id ab Ecclesia fuisse ejectum*. Quoad primum , dubitari potest an culpabiliter reus fuerit. Præceptum enim annuæ confessionis obligat , quando datur copia Confessarii . Sed hujusmodi copia rarissime invenitur in terris infidelium ob penuriam Missionariorum ; maxime autem deesse potest militibus, qui sæpe ad regiones longinquas mittuntur, ubi nullus est sacerdos. Quod videtur & ipse innuere, dum affert impedimenta ad præceptum exequendum = *ob aliqua impedimenta*. Vere reus fuit in secundo casu, quod vivente uxore, cum alia muliere vixerit. Peccatum per se gravissimum est, non tamen est infrequens præcipue inter milites. Poenam habuit ad emendationem & terrorem; et ideo prohibitus fuit ab ingressu Ecclesiæ, non tamen *excommunicatus*, quod ipse diserte negat in altero interrogatorio, et ex facto ipso evidenter eruitur: quia hæc poena ei inflicta est a simplici Missionario , qui jus certe non habebat ferendi censuram excommunicationis.

38 Fuit itaque criminosus hujusmodi Testis: sed ad hoc ut excludatur a testimonio ferendo non sufficit hæc notitia, sed inquirendum est, an in crimine perseveraverit , vel ab eo emendatus, absolutusque fuerit . Non enim ideo illegitimi censentur testes, quia aliquando peccatores fuerint. Quum pauci admodum sint innocentes, pauci profecto essent etiam testes apti; ac proinde vix in terris reperiri posset aliquis Processus validus. *Si vellemus* , inquit Farinac. quæst. 56. n. 294. *repellere testes poenitentes & emendatos de peccato mortali, nullus unquam admitteretur ad testificandum , quia nullus reperitur, qui tempore vitæ suae peccatum non commiserit*. Quum itaque, jam a longo tempore, dum conficerentur in Indiis Processus, noster miles ad poenitentiam

redierit et novam vitam christiano dignam instituerit, quare repellendus erit a ferendo testimonio? Statim enim post manifestata a se patrata peccata, subjungit quoad primum = *In aliis vero præcepta Confessionis & Communionis adimpleo, & modo hac ipsa die confessus sum R. P. Josepho Beschi:* et quoad secundum = *postea dimissa secunda uxore in Ecclesia fui admissus.* Non præterita, sed præsens animi affectio debet esse regula morum præsentium: atqui affectio animi Muttu, jam a pluribus annis ante depositionem poenitentis et emendati, ante et in actu depositionis bona fuit et honesta et vere christiana; ergo nulla ratione excludi potest ejus depositio. Sicut enim non confirmat auctoritatem testimonii vita præterita bona, si præsens sit mala; ita nec potest ipsam infirmare vita præterita mala, si præsens bona sit.

39 Addimus præterea, sinceram et humilem confessionem præteritæ vitæ flagitiosæ non solum non minuere, sed maxime augere fidem testimonio. Re autem vera Interrogatorium tertium, quod ipsi factum fuit, ita se habebat = *An quolibet anno confessus sit peccata sua & SS. Eucharistiæ Sacramentum susceperit, a quo Sacerdote & quo mense & anno ultima vice id fecerit ?* Cui ille summa simplicitate animique candore ad singula respondens ait; *se aliquoties ob aliqua impedimenta annuæ confessionis præcepto non satisfecisse: in aliis vero* (annis) *præcepta confessionis & Communionis adimplevisse ; et modo hac ipsa die confessum fuisse R. P. Beschi.* Quartum autem Interrogatorium erat hujusmodi; *An fuerit unquam inquisitus, accusatus, et processatus de aliquo crimine, et an secuta sit absolutio vel condemnatio seu abolitio criminis, vel adhuc causa penderet?* Ad hoc bonus ille vir prodit crimen, ad quod manifestandum non fuerat interrogatus, nempe de concubina habita; de poena sibi inflicta ob id a Patre Missionario, et tandem de sua resipiscentia; quæ omnia hic locum non habebant, quum interrogatio versaretur circa crimina judicialiter cognita. Putabat se ad hoc manifestandum teneri; et ideo præfert religionem juramenti confusioni ortæ ex confessione propriæ turpitudinis : quæ agendi ratio non est ejus qui prope Ethnico similis sit, sed qui vere christianus sit, et timeat Deum offendere. Ergo hoc ipso quod maluit delicta gravissima de se confiteri et confusionem pati, quam mentiri et peierare, quam maxime sibi et in hac et in aliis responsionibus fidem conciliat. Quemadmodum igitur ex eo quod Matthæus confessus sit, se fuisse publicanum, Paulus blasphemum et persecutorem Ecclesiæ, non minuitur eorum fides, sed imo, ut notant Chrysostomus, Ecumenius, et alii Patres, magis roboratur ex ipsorum humili confessione, ita suffragari debet etiam Testi IX sincera manifestatio proprii peccati ad confirmandum ejus testimonium. Ergo non solum nulla est exce-

ptio contra eumdem Testem, sed ex ea argumentum desumitur majoris auctoritatis.

40 *Pone sequuntur*, ait R. P. *Testis* **X.** *Margarita ex Tribu Valelichii, et Testis XVIII. Andreas Catechista ex Tribu Pallen, qui nonnisi longe distantes sese V. Ioannis internecionem vidisse asserunt. Tum non immerito infertur, singula Martyrii adjuncta neutiquam potuisse discernere, Animadv. n.* 7. Haec autem difficultas nullius est momenti, ut jam in præteritis Responsionibus ostensum est.

41 Nam Testis *X.* quæ est Margarita mulier christiana, statim ac audivit V. P. ductum esse ad supplicium, ait = *Tunc illuc accedens ego quoque de longe stans omnia prospexi*. Deinde describit ipsa minimas circumstantias Martyrii, nempe hilaritatem vultus V. S. D., capitis inclinationem ejusque amputationem, motus item corporis et capitis procidentis in terram, sectionem manuum et pedum, eorumque infixionem stipiti, *Summar. n.* 7. *pag.* 47. et hæc omnia concludit afferendo iterum causam scientiæ = *ut ipsamet vidi.* Dubitarine potest de testimonio oculari tam diligenti et accurato, quod insuper cum aliis omnibus plenissime concordat?

42 Rev. Pater vim facit in illis verbis = *de longe stans* = & ex iis concludit; ergo non potuit discernere singula adjuncta Martyrii. Nos autem contra arguimus hoc modo: Margarita juramento deponit se *omnia* adjuncta Martyrii *prospexisse* & *vidisse*: ergo distantia talis non erat ut non posset singula discernere. Re autem vera hæc dicendi ratio = *a longe* = potest significare vel maximam distantiam, vel minimam. Cum Jsaias c. 60 ait ad Jerusalem = *filii tui de longe venient*, indicat remotissimas regiones a quatuor ventis; cum autem a Luca c. 18 dicitur *publicanus a longe stans*, indicatur profecto distantia paucorum passuum. Ergo significatio vocis *a longe*, cum per se indifferens sit ad indicandam vel magnam vel parvam distantiam, debet determinari ad hoc vel ad illud ab obiectis et omnium verborum adjunctis. Quum itaque hoc in loco jam determinatam habeamus, ita ut distantia non impediverit distinctam visionem obiecti, quid ulterius inquirendum? Placet quam maxime exemplum adductum in præced. Resp. Bona hæc mulier ita se gessit, ut olim sanctæ mulieres, quæ testes fuerunt Passionis Christi. *Erant ibi mulieres multæ a longe*, *Matth. c.* 27 et tamen de iisdem asserit, quod erant = *ministrantes ei.* Et Marc. 41 = *Erant autem & mulieres de longe aspicientes*; seu ut egregie hunc locum explicat Maldonatus, *Et juxta Crucem*, *& longe erant. Juxta*, *quia tam prope ut & patientem Christum videre*, *et secum loquentem exaudire possent. Longe*, *quia non tam prope Crucem erant*, *quam erant milites*, *qui Christum custodiebant.* Comparatio pulcherrima est, & ad rem maxime idonea. Mar-

garita stabat *a longe*, quia mulieris honestæ non est, se inter milites & carnifices immiscere; sed tamen *de longe stans* omnia *prospexit*, & *vidit* quæ fiebant circa Christi Martyrem: et ideo Testis aptissima est ejusdem Passionis.

43 Sic remanet etiam soluta difficultas relate ad Testem XVIII. qui postquam & ipse descripserit omnia adjuncta Martyrii S. D. ait = *tunc ego mille passibus tantum distabam*; *unde distincte hæc omnia novi.* Nam, præterquam quod hæc est forma loquendi, qua significatur vulgo brevis distantia, advertendum est, quod, etiamsi in stricto sensu intelligantur hujusmodi verba, Testis hic non loquitur de passibus geometricis, qui ignoti erant populis Madurensibus, sed de passibus naturalibus, qui proinde, licet mille sint, non tantam efficiunt distantiam, ut distincte non possit percipi obiectum præsertim in agro aperto, ubi S. D. Martyrio coronatus est. Prefecto fere mille passibus naturalibus excurrit platea S. Petri; & tamen, si in ea capitalis sententia exequeretur, posset quispiam, qui non sit lumine læsus, tuto testari se vidisse distincte supplicium. In casu nostro omnem dubitationem aufert ipsemet Testis, qui ideo dicit se mille passibus distare, ut inde eruatur quod omnia distincte cognoverit = *unde distincte hæc omnia novi.* Ergo loquitur præcise de distantia, quæ non impediat distinctam visionem objecti, quas les nec essent mille passus naturales, etiamsi in stricto sensu, & non pro consueta loquendi formula, accipiantur. Ergo præter alios Tres, accensendus est etiam quartus Testis de visu, Andreas Catechista & socius V. S. D.

44 Vindicatis itaque ab omni exceptione quatuor Testibus ex Process. Apost Meliapuren. quos R. P. concedit esse *de visu*, additis etiam non paucis qui deponunt de auditu immediato *a videntibus*, contra quos R. P. nullam habet exceptionem, sufficientissime videtur probatum materiale Martyrium V. S. D. Quod pertinet autem ad ejus caussam, plura inferius & copiosa deducemus, cum sermo nobis est de formali Martyrio. Hic postremo inquirendum ducimus, an revera quatuor tantum censendi sint testes *de visu*? Quum hoc videatur supponere R. P. nostrum erit contrarium ostendere.

45 Quum Martyrium consistat in morte pro Christo, ut docet S. Th. 2 2 q. 124 a 4 & alii passim quos recenset Bened. XIV. lib. 3 c. 12., dupliciter fieri potest ut quis moriatur pro Christo: vel si ex improviso occidatur in odium fidei, ut factum est in martyrio S. Petri M.; vel si martyr comprehendatur, in vincula coniiciatur, ante judices & tyrannos constituatur, interrogetur, iniuriis & suppliciis afficiatur, damnetur, occidatur, in frusta discerpetur, quemadmodum in casu nostro evenit V. S. D. Joanni de Britto. Jam vero de hac omni actorum serie, quæ est & dicitur Martyrium a SS. Patribus, plures habemus in nostra Causa testes de visu. Qua-

tuor superius recensiti deponunt de morte S. D. quæ est pars martyrii; cæteri autem de aliis singulis & continuatis partibus, quæ Martyrium efficiunt.

De captura testantur de visu Testis VI. *Milites V. Patrem in Civitatem Ramanadaburen dictam trahentes, in meo Oppido aliquantum substitere ; qua occasione ego ipsa V. P. conveni, Summar. pag.* 44. Testatur Testis XXXIX. Illustris Confessor & socius = *In esecuzione di quest' ordine venne una squadra alla Chiesa di Connapencoty dove io mi ritrovavo assieme con altri . . . in Ramadaburen poi dove ci incontrammo con il V. P. Giovanni de Britto &c.* Summ. p. 52. De constitutione ante tyrannum & de contumeliis inlatis Testis XLIV. = *E questo lo so, tanto per essermi trovato presente in Corte del Tiranno, quando chiamò all' esame il V. Servo di Dio, oltraggiandolo di parole, Summar. pag.* 77. Testis XLV. alter socius V. S. D. = *Dopo giorni 21. di prigionia fossimo tutti chiamati al Palazzo ecc. fummo ricondotti con villanie e affronti alle carceri ecc. Summar. pag.* 58. *et seq.* De damnatione ad mortem deponit idem Testis XLV. , Testis XLIV. , Testis LI. qui præsentes aderant. De adductione ad locum supplicii deponit Testis XL. de visu = *Dum eo iret , eum vidi.* De Corpore Martyris in frusta discerpto deponunt de visu Testis III. Testis V. Testis XI. De instrumentis Martyrii Testis II. de facto proprio.

46 Habemus igitur hic, ut de cæteris taceamus, alios undecim Testes de visu , qui universam deponunt totius Martyrii seriem, de quo aliquot ex ipsis etiam participes fuere, utpote Socii V. S. D. Profecto , etiamsi non adessent alii quatuor , qui de morte specialiter testarentur , hi soli sufficerent ad probandum evidentissime Martyrium. Nam quum Causæ Canonizationis assimilentur Causis criminalibus, hæc præcipue Causa, in qua agitur de Martyrio , comparari rite poterit cum causa criminali , in qua agitur de assassinio. Illæ igitur probationes , quæ in ista sufficerent ad damnandum reum hujusmodi delicti, sufficient in illa ad probandum V. S. D. interfectum fuisse a Regulo Marravensi.

47 Jamvero ut ad debitam poenam damnetur reus, debet esse confessus vel convictus *a Testibus* , *ab indiciis*, vel *a corpore* , ut ajunt, *delicti*. Hæc autem omnia habemus in casu nostro: nam V. S. D. , inspectantibus Testibus, comprehensus est , in carcerem traductus , interrogatus a Regulo et ab ipso damnatus, ductus ad supplicium , & ejus cadaver mutilatum fuit rite recognitum ; & de his omnibus distincte testantur testes de visu , quorum alii unum, alii alterum indicium deponunt. Præsumptiones igitur sunt adeo violentæ , indicia sunt adeo indubitata, ut, si quis vellet nunc judicium contra Regulum instituere , licet deficerent testes de visu actualis homicidii, tamen ex deductis ab aliis testibus superabundarent probationes ad evincendum reum esse Regulum de nece violenta inflicta V. Servo Dei,

et ideo lata sententia damnari posset ad poenam. Ita tradit Farinac. *quaest.* 84. *n.* 1. de eo qui visus est rixare cum alio. Quamvis enim percussio visa non fuerit, si tamen finita rixa reperitur alter e rixantibus vulneratus vel occisus, tunc superstes puniri potest ut homicida.

48 Habemus præterea indicium maximum, seu *corpus delicti.* Cadaver V. S. D. inventum est exangue, mutilatum, in frusta discerptum, fuitque a Testibus idoneis recognitum. Inventa sunt etiam instrumenta supplicii; ferrum quo caput amputatum est; stipes cui corpus affixum. Quum itaque testes deponant de actibus immediate antecedentibus, maxime de odio quo Regulus prosequebatur Servum Dei, de capitali sententia ab ipso lata quæ æquivalet spontaneæ confessioni delicti, de dispositione proxima executionis, licet nullus e testibus viderit immediate mortem inflictam, dubitandumne erit, Regulum fuisse reum homicidii? Quid sapientissimi Patres sentirent, si, corrogatis tot evidentissimis indiciis, ascitis etiam plurimis aliis testibus ex auditu immediato a videntibus, deberent hic & nunc judicium ferre contra Regulum? Nemo profecto dubitaret constare de evidenti reitate: ac proinde nemo etiam potest de evidenti Martyrio V. S. D. dubitare.

49 Hoc argumento usus est Archiep. Philippen. cum tueretur Causam B. Fidelis a Sigmaringa. Præter mulierem unam, quæ viderat in prato corpus exanime & vulneratum Servi Dei, nullus aderat testis qui actum mortis vidisset. Probavit itaque ex antecedentibus & concomitantibus indiciis & testibus, non ab aliis quam ab hæreticis occisum fuisse Servum Dei; & ideo summa omnium consensione probatum est Martyrium.

50 Quid ergo erit dicendum de Causa nostra, in qua præter hoc evidentissimum probationis genus, habemus ulterius quatuor testes, qui de visu deponunt etiam de morte; inter quos ipse Carnifex qui de facto proprio testatur, se revera occidisse Servum Dei? Potestne arctioribus argumentorum momentis probari ejus materiale Martyrium? Certe nulla adhuc Causa Martyris in hac S. Congregatione expedita est, quæ tot superabundet probationibus, ut quisque ex aliarum comparatione facile iudicare poterit. Sed satis de materiali Martyrio.

DE MARTYRIO FORMALI

SEU DE CAUSA MARTYRII TUM EX PARTE TYRANNI

TUM EX PARTE MARTYRIS

51 Quemadmodum materiale, sic & formale Martyrium V. S. D. luculentissime eruitur ex Actis. Quae autem ad hoc infirmandum pro munere suo proponit Reverendiss. P., copiose & evidenter sublata sunt in præced. Respons. *a pag.* 61. *ad* 114. Quare nostrum erit hic pauca tantum innuere, ne molestiam RR. PP. creemus, qui probe tenent datas responsiones.

52 Causa itaque Martyrii considerari potest vel ex parte Tyranni, vel ex parte Martyris. *Ex parte tyranni*, ait Bened. XIV. lib. 3. c. 13, *causa requisita & apta ad Martyrium debet esse odium fidei, vel in opus bonum prout a fide Christi præscriptum*; & cum eo concordant Benedictus Pereira *in Elucidat. S. theolog. l. 2. Elucidat.* 23. Verricell. *de Apost. Mission. lib.* 1. *de fide quæst.* 29., Card. Capizucch. *controv.* 27. *de Martyr.* §. 16., De Laurea *disp.* 20. *art.* 7. Præter igitur odium fidei, sufficit ad causam Martyrii odium virtutis vel cujuscumque operis boni a fide Christi præscripti, vel præcepti, vel consulti, quod propria ratione habeat relationem ad fidem, vel aliquo modo tendens ad propagandam, vel tuendam fidem; quæ totidem sunt verba prædictorum theologorum.

53 Amplissimus Censor *Animadv n.* 10. optat ut luculenter evincatur, *fidei odium causam fuisse præcipuam qua tyrannus V. S. D. mortem irrogare voluerit.* Sed cur non etiam adjunxit *opus bonum*, seu *virtutem*, prout a fide Christi præscripta; quum hæc sola sufficiat ad causam Martyrii? Non tamen in hoc insistimus; quia in nostra Causa utrumque evidentissime eruitur.

54 Et primum quod pertinet ad odium fidei ex parte tyranni, juxta doctrinam Bened. XIV. *lib.* 3. *c.* 14., erui & probari potest vel ex sententia, vel ex disceptatione inter tyrannum & Martyrem, vel ex beneficiis seu muneribus oblatis si Martyr a fide resiliret, vel ex impunitate quae ei pollicetur, vel ex actis in quibus manifeste dicatur inflicta mors ob odium fidei, vel operis boni cum ipsa connexi, vel ob ejus propagationem. Necesse autem non est, ut hæ probationes collective sumantur; sed juxta eumdem Benedict. XIV. satis est una in qualibet Causa, ut demonstretur

constare de Martyrio ex parte tyranni. Jam vero si non una tantum, sed omnes hujusmodi probationes concurrerent in Martyrio V. S. D. Joannis de Britto, eritne dubitandum de luculentissima demonstratione? Atqui omnes omnino, non solum descriptæ, sed & aliæ etiam simul concurrunt.

55 Primo: de Sententia lata a Tyranno contra Dei Famulum, habemus duos testes de facto proprio; Testis VIII. ait; *Frater Reguli me advocavit, in cujus præsentia cum ego starem, ejus primus Minister sic me allocutus est; Hic Sacerdos, qui nuper huc in vinculis ductus fuit, quamdam novam legem prædicans, Diis nostris venerationem prohibet, ac in dies quotidie haec secta in infinitum crescit, qua de causa Regulus ira accensus jubet, ut eum tu capite plectas. Summ. pag.* 45. Et Testis IX. *Die lunae secunda Februarii Oriur Regulus Vireiadeven me advocans locutus est; Hic Sacerdos antea prohibitus licet fuerit, ne legem nobis invisam prædicaret, iterum huc revertens non cessat Diis nostris cultum prohibere; qua de causa in ipsum data est capitis sententia: tu eam exequens, eum capite plectas volo. Summar. pag.* 46. Cum his concordant Testis X. VI. XXII. XLVII. Damnatur ergo ad mortem Servus Dei, quia prædicat legem novam, legem invisam, & prohibet diis cultum & venerationem. Quid clarius ad causam Martyrii?

56 Secundo. Disceptatio judicialis inter Tyrannum & Servum D. tota fuit de fide. De hac autem deponit Testis XXXIX. Socius vinculorum & carceris V. S. D. Summar. num. 7. pag. 54, Testis XLV. alter Socius, Summar. pag. 59. qui fuerunt præsentes disceptationi; & præterea de auditu a præsentibus Testes XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. pag. 64. 67. 69. 72. Interrogatur igitur a tyranno, cur fidem prædicaverit, cur edocuerit fidem evangelicam ab ipso vetitam; & respondet S. D., se prædicasse Evangelium quia Deus vult; = *La legge non è mia, ma bensì di Dio Supremo Signore di tutti; egli mi comanda di predicarla senza veruna distinzione, ed a lui devo obbedire.* Nonne eadem est disceptatio quæ habita fuit ab Apostolis coram Sinagogae Præsidibus?

57 Tertio. Quod non solum impunitas, sed etiam beneficia fuerint oblata Servo Dei, si resiliret a fide, deponit Testis I. Summ. pag. 75. *Iterum Servum Dei de Doctrina & fide examinavit, propositis etiam in præmium quibusdam Pagis, si nomen Idoli vellet invocare; quod Servus Dei firmissime detestatus, caput falci abscindendum obtulit.*

58 Quarto. In Actis autem passim legimus depositiones Testium, qui unanimiter testantur occisum fuisse Servum Dei in odium fidei, vel quia christianam Religionem propagaret, vel quia multos infideles ad Christum converteret, vel quia Idola contemneret, ut videre est in Summar. num. 7. per totum. Quæ si non est causa Martyrii, quæ alia profecto erit?

59 Addimus præterea facta ipsius Tyranni, quæ unice respiciunt odium fidei; qualia sunt, Ecclesiæ succensio & destructio, quam deponit Testis XXXIX. Summ. pag. 52: alligatio Servi Dei ad currum triumphalem Idoli, quam deponit Testis XLV. Summar. pag. 58; Contemptus rerum & imaginum sacrarum, quem deponunt Testis XXXIX. pag. 58. & plures alii tum de visu, tum de auditu a videntibus. Addimus insuper verba ipsa, quibus Tyrannus sibi gratulatus est de morte Servi Dei: *Ed il Regolo allora lieto al maggior segno, ad alta voce e più d' una volta millantò che in quel giorno avea pure una volta avuta vittoria della legge di Dio, ed aperto finalmente e ristabilito il famoso tempio del suo grande Idolo*: ita Testis XXXIX. Et alius Testis XLV. *Esclamò lo stesso Regolo ed assieme tutti gli altri, che in quel giorno aveva estinta la legge di Dio; e nuovamente ristaurato il culto dell' Idolo.* Addimus denique acerbissimam persecutionem excitatam a Tyranno contra christianos post obitum Servi Dei. Testis IX. pag. 45. = *Maxima orta est persecutio quæ incæpta mense Januarii etiam post mortem V. Patris per sex menses incredibili furore in toto Regno contra Christi fideles perseveravit*; de qua etiam deponunt alii Testes pag. 47. 62. & alibi. Si ergo Tyrannus sævisset contra Ven. Patrem non ex odio fidei, sed ex alia causa, cur, eo defuncto, non deferbuit ira, sed imo magis incaluit contra christianos?

Quæ cum ita sint, jam quærimus, an luculenter constet, *odium fidei causam fuisse præcipuam, qua Tyrannus maxime percitus Ven. Dei Famulo mortem irrogare voluerit*? Si probationes in aliis Causis etiam distributive sumptæ satis fuerunt ad evincendum Martyrium formale, quid ulterius inquirendum, quum in nostra Causa omnes collective concurrant & conveniant, iisque etiam aliæ superaddantur præter numerum?

60 Conatur Rev. Censor demonstrationem infirmare tum ex violata exilii lege indicta V. Servo Dei, tum ex repudio Neptis Reguli imperata ab ipso; & hæc, ait, fuisse causam cur Regulus ira accensus V. Patrem interfecerit. De contemptu legis exilii disseremus in secunda parte, cum sermo nobis erit de Causa Martyrii ex parte Martyris, ubi iterum eadem redit difficultas. Hic de repudio Neptis Reguli: & ostendemus, non solum non infirmare, sed maxime confirmare argumentum.

61 Quum itaque quidam regii generis Princeps, cohortationibus V. Servi Dei commotus, ad fidem venire decrevisset; V. Pater professus est, se illi baptismum conferre non posse, nisi ex quinque uxoribus quas habebat, quatuor dimitteret, una tantum retenta. Dicto obediens fuit Cathecumenus; & aliis dimissis, cum prima remansit. Neptis Tyranni fuit una ex dimissis, quæ statim suis quærelis excitavit Re-

gulum, ut Servum D. in vincula coniiceret, uti factum est.

Posita hac narratione, ultro concedimus, repudium Neptis Reguli fuisse causam, sed *occasionalem* tantum, non motivam & præcipuam mortis. Ita deponunt unanimiter Testes, qui affirmant, quærelas mulieris fuisse causam carcerationis; sed causam mortis unice referunt omnes in odium fidei, & in propagationem legis christianæ, ut expresse habent Testis XXXIX. pag. 52, Testis XLV. pag. 57., Testis VIII. IX. & alii passim. Præterea; vera causa mortis repetenda est ex sententia tyranni; quum hæc semper includat rationem damnationis: atqui sententia, ut superius vidimus, cum causam explicat damnationis, nullam mentionem facit de quærelis & repudio foeminæ, sed tantum causam fidei præfert: ergo nec quærelæ, nec repudium fuerunt causa finalis mortis. Insuper; disceptatio inter tyrannum & Martyrem, non fuit de repudio, sed tota de fide; verba & facta ipsius tyranni nihil aliud præferunt, nisi odium fidei: Ergo potuit quidem repudium Neptis esse causa occasionalis, sed si testes conferamus, si omnia adjuncta antecedentia, concomitantia, & subsequentia Martyrium consulamus, dicendum profecto erit, causam ultimam fuisse solum odium fidei.

62 Quod autem ad Martyrium satis sit, tyrannum ad inferendam mortem moveri ex odio adversus fidem, quamvis occasionem mortis desumat ex alia re, quæ ad ipsam fidem nihil pertineat aut nonnisi ex accidenti pertineat, pluribus confirmat Benedict. XIV. lib. 3. c. 13. tum ex ratione, *quia actus non ab occasione vel causa impulsiva, sed a causa finali veram sui speciem desumit*, tum ex praxi Ecclesiæ, adductis exemplis in Causa B. Josaphat Pollocensis, B. Petri de Arbues, & similibus. Ergo hæc difficultas jam locum habere nequit, cum in aliis Causis jam fuerit perfecte soluta.

63 Sed huc usque lusimus in suppositione, quod suasio de repudio non sit *opus bonum*; *a fide præceptum vel cum ea connaturaliter connexum*. At polygamia estne vetita a lege christiana? Potestne ethnico ad fidem accedenti permitti, ut plures uxores in infidelitate ductas retineat? Minime sane. Ergo, posito etiam quod repudium fuerit causa proxima mortis V. S. D., sequitur luculentissime ex doctrina superius tradita a Benedicto XIV. aliisque Doctoribus, quod V. P. occisus fuerit in odium fidei. Nam prohibere polygamiam, est opus bonum & præceptum a fide, cum non liceat ex divino præcepto plures uxores habere: ergo V. P. de Britto bonum opus & a lege præscriptum operatus est. Si ergo tyrannus hac unica causa illum occidisset, inter Martyres esset recensendus. Præclarissimus Præcursor Christi capite damnatus est, quia sæpius iterabat

Herodi illud = *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* = &. tamen ab Ecclesia uti Martyr habetur & colitur. Quispiam fortasse dicere posset; Herodes capite damnavit Joannem, ut placeret saltatrici, & ut promissa servaret: ergo non ex odio fidei occisus est Joannes. Cui respondet Cornelius a Lapide in Comm. in Marc. 6. = *Nego consequentiam; nam primo, puella petiit caput Joannis ex instinctu matris, quæ Joannem sui adulterii castigatorem sic e medio tollere volebat. Herodias ergo quasi causa moralis per se occidit Joannem impellendo Herodem ut eum decollaret, itaque eum fecit Martyrem. Secundo, Herodes illi assensit . . . Tertio, Herodes quoque volebat Joannem occidere, ut ait Matth.* 1. 14. *Fuit ergo S. Joannes victima castitatis quia pro ea Martyr occubuit . . . Hinc vere* S. August. Serm. 36. de Sanctis, *Joannes*, ait, *propter justitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam, quia plena & perfecta libertate maluit injusta sustinere, quam justa non dicere.* Jam vero si Martyrium Joannis Baptistæ conferatur, data proportione, cum Martyrio V. P Joannis de Britto, dicendum erit ex doctrina Patrum & Doctorum, duplicem & nos hic habere coronam, Fidei & Castitatis. Ergo suasio repudii, non solum non infirmat, sed magis illustrat Martyrium V. S. D.

64 Nec valet ultima Animadversio R. P. *num.* 11. ex eo deducta, quod *Religio Catholica non fuerit a Regulo interdicta; quin catholici viri fuerint etiam dignitatibus aucti, et Socii V. P. e carcere dimissi.* Etiamsi hæc omnia late concederentur, quid inde? Numquid ad hoc ut aliquis sit Martyr, necesse est ut plures alii, vel omnes Christiani occisi sint, ut Religio Christiana penitus extirpetur, ut omnia ferro & igne vastentur? Ille vere est Martyr, qui jam passus est propter fidem: atqui invictis argumentis comprobavimus Ven. Servum Dei occisum fuisse in odium fidei, ob promulgationem Evangelii: ergo etsi alii occisi non sint, sine dubio inter Martyres est numerandus Servus Dei, qui fidei causa interfectus est.

65 Re autem vera si hæc ratio valeret, omnes fere Martyres ex Sanctorum albo delendi essent; quum etiam in saevissima persecutione Diocletiani, dum alii e christianis suppliciis afficerentur, alii contra dignitatibus ornarentur, & in ipso palatio Principis tuti & honorati conquiescerent. Neque est inquirenda causa de hac agendi ratione in tyrannis, quæ multiplex potest esse. Potest enim esse ut unius vel alterius cruore exsaturata sit sæviendi libido, vel quod putent unius morte satis esse perterritos christianos, vel quod nolint regnum tot millibus subditorum ex improviso expoliare.

66 Attamen verum omnino non est, Regulum Moravensem sola morte Servi Dei fuisse contentum. Ejus enim jussu Eccle-

siæ succensæ sunt; res sacræ dispersæ & infractæ, Cathechistæ in vincula conjecti, secti, vulnerati, & tandem generalis in omnes persecutio mota, quæ sex mensibus post abitum S. D. perseveravit, ut superius vidimus ex testium depositione. Juvat hic tantum referre verba testis 1. ex Proc. Apost. Rom.

Nullatenus tergiversari posse necem intulisse Tyrannum Servo Dei ab prædicationem Evangelii, & in odium fidei Catholicæ; quod odium tyrannus etiam palam fecit, dum eadem occasione contra omnes Christianos dæsevisset, & jussisset omnes Ecclesias comburere, et neophitos suis bonis expoliari; et quamplurimos verberibus affici, et candenti ferro, qua imprimebatur nota idoli ab eadem gente culti aduri. Summar. pag. 76.

67 Adest etiam ratio cur tyrannus potissimum & unice Servum Dei interfecerit. Nam V. P. tunc temporis solus erat Missionarius in regno Madurensi; ipse solus rem christianam promovebat, & paucis ante diebus duodecim millia hominum Christo regeneraverat. Quum itaque vellet Regulus Religionem christianam extirpare, sibi facile persuasit fore ut ex se ipsa concideret, si e media tolleretur ille, qui eam fovebat et sustentabat. Se gessit juxta illud quod legimus *Zacchar.* 13. *Percutiam Pastorem, et dispergentur oves gregis* Ita etiam fecerunt Judaei, qui non multitudinem, non Apostolos, sed solum Christum interfecerunt. Quibus salutis Animadversionibus, concludimus, dubitari non passe de Causa Martyrii ex parte tyranni, quæ luculentissime exsurgit ex probationibus adductis.

68 Comprobata itaque causa Martyrii ex parte Tyranni, jam eo ipsa probata est etiam causa Martyrii ex parte Martyris. Si enim constat, Tyrannum ob fidei praedicationem Servum Dei accidisse, constat pariter Servum Dei a tyranno ob fidei praedicationem atque adeo ex adio fidei occisum fuisse; quum accidere et occidi sint correlativa. Quod autem pertinet ad dispositiones ex parte Martyris seu ad desiderium Martyrii, ad acceptationem illius, ad gaudium et ad perseverantiam qua passus est, quum hæc jam fusius tractata fuerint tum in Informatione, tum in superiori Responsione, & quum nulla contra hæc mota fuerit difficultas a R. P., supplicamus RR. PP. si quid dubii in hac parte suboriatur, nan dedignentur ea relegere, quæ brevitatis causa omittenda censemus. Juvat hic tantum innuere, quod de acceptatione mortis deponunt Testes XXXIX, IX, VIII, X, XVIII, XLV, VI; quorum verba referuntur in Præced. Respons. *pag.* 107. præter alios plurimos de auditu a videntibus, prout leguntur in Summar. num. 7. per tot. De patientia Martyris, de gaudio, de invicta constantia deponunt pariter de visu Testes VIII, IX, X, XIII, ut in praeced. Respons. *pag.* 108. Item de Perseverantia, ut invictissime probatur in eodem

loco *a pag.* 108. *ad* 114. Quare ad extremas difficultates solvendas veniamus.

69 Queritur Rev. Censor de imprudentia Servi Dei, *qui exilii praeceptum aspernatus in Malabaricam Provinciam reversus est, ibique Catholicam Religionem praedicandam iterum suscepit, quin supplicem libellum Regulo exhibuisset, Animadv. N.* 12. Sed, ut jam demonstratum est in Super. Respons. a pag. 92. ad 106, nihil minus convenire potest Ven. Servo Dei, quam hæc nota imprudentiæ. Ipse enim pulsus fuerat in exilium, quia Christianæ Religionis propagator erat amplissimus, et comminatus fuit de morte, si iterum rediret in regnum ad eumdem finem. Eratne prudentiæ christianæ impium hoc tyranni edictum exequi, et tot gentes in infidelitate sponte relinquere? Certe si Ven. S. D. prospiciebat exempla Apostolorum, et omnium, quotquot fere fuerunt, Christi Martyrum, hanc quaestionem negative debebat resolvere.

70 Quum indignarentur Iudaei de Apostolorum praedicatione = *vocantes eos denunciaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, Act.* 4. Quid ad haec Apostoli? = *Petrus vero et Ioannes dixerunt ad eos; si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate.* Iterum Iudæi *comminantes dimiserunt eos*; sed quum nihilo secius instarent in verbo Dei, iterum Iudaei, = *iniecerunt manus in Apostolos et posuerunt in publica custodia.. Et interrogavit eos Princeps Sacerdotum dicens, præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto, et ecce replestis Ierusalem Doctrina vestra. Respondens autem Petrus et Apostoli, dixerunt, obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Numquid ex hoc imprudentes dici possunt Apostoli, an potius, ut docent Patres, vera et christiana libertate et zelo ornati? Atqui eadem ratione se gessit Regulus Maravensis ac Iudaei, et eadem pariter ratione se gessit V. S. D. ac Petrus caeterique Apostoli. Ita enim factum narrat Testis XXXIX. de visu, Summ. pag. 54. *Essendo in tanto arrivato alla presenza del Regolo, Come mai, gli disse, hai avuto ardire di tornare a predicare nel mio Regno questa tua legge, avendoti io proibito di predicarcela? A questo rispose il Ven. Padre, conforme io stesso lo sentii; la legge non è mia, bensì di Dio supremo Signore di tutti; egli mi comanda di predicarla senza veruna distinzione, e a lui devo ubbidire.* Quum itaque nefas sit modum agendi Apostolorum non probare; nec poterit Servus Dei accusari de imprudentia, si ad unguem eorum exempla sit imitatus.

71 Hac etiam ratione se gesserunt fere omnes fortissimi Christi Martyres. Romani Imperatores semper edictis caverunt, gravissimisque poenis comminati sunt Pastores et fideles, ne Christi fidem prædicarent; et tamen nullus unquam destitit a propaganda Christiana religione. Alii fuerunt expulsi, ut accidit S. Apollinari, et quinque Martyribus ex ordine S. Francisci, et aliis quamplurimis; et omnes iterum intrepide re-

versi sunt ad stationem, et optatam martyrii palmam consecuti sunt. Accedit insuper, quod Ven. S. Dei missionem immediate acceperat propagandi Evangelium inter populos Maravares; non poterat ergo detrectare, imo ad exequendum munus sibi commissum debebat ex doctrina evangelica omnes conatus, labores, et vitam ipsam, si opus esset, insumere. Quare concludimus cum Benedicto XIV. lib. 3. C. 17., *nemo reperiri poterit sanæ mentis, eum redarguens qui a Summo Pontifice missus ad oras Infidelium, ut praedicet Evangelium, in prædicationem strenue, sed prudenter incumbit, et sperans se proficere posse, iniustis tyrannorum præceptis de fide Christi nequaquam annuntianda minime obtemperans, Martyrium subit*. Atqui ita est casus noster.

72 Cur autem Servus Dei non obtulerit libellum et facultatem prædicandi non petierit a tyranno, facilis est responsio. Non petiit, quia frustraneum erat. Tyrannus comminatus erat mortem, si Servus Dei iterum rediisset ad prædicandum Evangelium; odio habebat legem Dei; ergo nunquam certe daturus erat facultatem eam libere praedicandi. Ad quid ergo oblatio libelli? Neque pariter ullam vim habent in casu nostro verba S. Thomæ, quod *non debet homo occasionem dare alteri injuste agendi*. Quum enim opus positum est bonum, justum, imo praeceptum, non datur ex se occasio agendi injuste; sed tota injustitiae causa refundenda est in iniquitatem agentis.

73 Remanet ultima objectio desumpta ex nulla necessitate quæ adigeret Servum Dei ad Madurensem Missionem iterum obeundam. *Siquidem*, ait Censor Animadvers. N. 13. *plures in eo Regno praesto erant Sacerdotes*, qui idololatras ad fidem converterent, et neophytos informarent. Hoc autem verum est, si pro *eo Regno* intelligatur, ut videtur supponere R. P., tota Missio Madurensis seu Malabarica; falsum autem si intelligatur tantum *Regnum Maravense*, in quo Servus Dei morabatur et in quo occisus est. Ibi enim ab ejus discessu anni 1686, nullus alius Missionarius fuit, prout eruitur ex Actis, quæ de alio Sacerdote nunquam loquuntur.

74 Sed fuerint sane alii Missionarii; non inde tamen sequitur quod reditus S. D. non fuerit necessarius. Ipse enim innumerabiles Gentiles Christo lucrifecit; uno die tria millia, paucis diebus duodecim millia hominum baptizavit. Ergo messis quidem erat multa, operarii autem pauci. Quid actum esset de hoc ingenti hominum numero, si Servus Dei non adfuisset? Poterat quidem Deus per alios ad fidem vocare; sed cum voluerit per manus Servi Sui illos omnes baptizari, negabimus maxime utilem et necessariam fuisse operam V. Patris? Possemus denique probare, quod licet etiam nulla fuerit necessitas Missionariorum, tamen non posset argui imprudentiæ S. D. ob reditum in Provinciam Malabaricam. Sed cum rationes allatæ satis sint ad exsolvendam penitus oppositam difficultatem, ne longiores simus, consistimus.

75 Itaque, quum ex deductis evidentissime constet, ut putamus, tum de materiali, tum de formali Martyrio V. S. D. Ioannis de Britto, ad quod confirmandum inducti sunt tot testes fide digni, indole simplices et sinceri, et in religione et pietate ferventes ita ut nulla in eos cadere possit suspicio falsitatis, prout etiam testantur Iudices Delegati, quumque jam satis solutæ sint omnes exceptiones et difficultates oppositæ a Reverendiss. P. Fidei Promotore; nihil aliud optandum, Beatissime Pater, quam judicio tuo hæc omnia rite confirmes, atque ita fortissimum Christi Martyrem in Divini nominis gloriam, fidelium Malabarium exemplum, et Missionariorum Madurensium incitamentum debitis altarium honoribus augeas, praesertim quum accedat divinum testimonium ex patratis eius intercessione miraculis, ad quae vindicanda iam gradum facimus.

REVISA

PETRUS MINETTI S. C. ADV. ELECTUS S. R. C. ASS. ET S. F. SUBPROMOTOR.

DE MIRACULIS

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

1 Fusius quidem & luculentius quam in præterita concertatione, sed non novis certe argumentis, oppugnantur clarissima miracula, V. S. D. Joanne de Britto adprecante, patrata. Quamobrem cum iis omnibus copiose jam satisfactum fuerit a veteribus causæ patronis, & a cl. me. Perito Pascoli ad ferendum de ipsis judicium voto, cumque breviter nunc eadem confirmata fuerint a Judiciali Perito electo, viro clarissimo Josepho De Matthæis, nil aliud nobis superest, nisi ut appellemus ad ea quæ ab aliis dicta fuerunt, propositisque difficultatibus ita respondeamus, ut non tam ipsa tueamur miracula, quod absolutissime jam præstitum est, quam occurramus cuidam illi novitatis speciei objectionibus iisdem solerter inductæ. Hoc itaque opus aggredimur, prætermissis plane quæ contra testium fidem proferuntur ex epistola jam rejecta in praecedenti disputatione super martyrio.

MIRACULUM PRIMUM

Instantaneae sanationis subitæque virium restitutionis Ignatii ex tribu Pallà Oppidi Oriur cum maligna letalique febri oppressus animam ageret.

2 Medicorum attestationes, qui curæ interfuerunt, exquirendas esse docet animadversio (§ 3) cum Benedicto XIV. idque nos etiam utile fatemur, tum ut *regularitati*, tum ut *firmitati* probationum consulatur. At priori certe satisfactum fuit in casu per depositionem medici Andreæ, qui usque ad extremum adstitit ægro, neque censere licet ei ullo pacto affectum esse per omissionem ceterorum medicorum, qui curam Ignatio adhibuerant; cum constet ex actis, moralem tantum impossibilitatem in causa fuisse, cur ipsi non inducerentur: ajentibus Apostolicis Judicibus (*Sum. addit. n. 2. posit. pag.* 216. § 5.) *si quamplures alios testes, præser-*

tim super Miraculis non advocavimus, intestinis bellis et moraliter insuperabilibus difficultatibus id tribuendum est.

3 Per examen itaque illius medici ; qui haberi potuit , satis superque prospectum fuit probationum *regularitati. Firmitatem* autem ipsarum abunde tuetur idem medici examen conjunctum cum examine ceterorum;idque non facile negabit animadversio postquam concessit, tum ceteros plenissime inter se convenire in qualitate morbi tradenda , quem universi *febris malignæ* nomine designarunt. Et reapse, quid sibi voluit ipsa dum scripsit (§ 4) homines nostros, utpote *medicæ artis prorsus imperitos , intrinsecam morbi causam vel qualitatem UTI TESTES DE AUDITU TANTUM referre potuisse* ? Significare profecto voluit , eos *a medicis tantum* id accipere valuisse, qui soli de morbo judicare poterant. Jamvero, si inter medicos, qui ægro adstiterunt, aliquis irrepsisset dissensus quoad morbi naturam , eumdem dissensum repetitum conspiceremus in testibus, quorum alius hoc alius alio nomine morbum designasset, prout a diversis medicis audiverat : vel certe ab iis dictum legeremus, omnes quidem medicos gravissimam censuisse Ignatii aegritudinem, sed non omnes æque in indole morbi definienda consensisse. Nihil tamen ejusmodi in depositionibus , nulla ibi discrepantia, nulla dubitatio, nulla ambiguitas, omnes ad unam præferunt *febris malignae* appellationem: atqui istæ imperitorum depositiones juxta Censorem non sunt nisi *mera echo* medicorum : oportet itaque medicos omnes perfecte in hoc consensisse, ut ægritudinem Ignatii censerent *febrim malignam.* Ipsa ergo testium inscitia , quæ objicitur , sponte convertitur in validissimam confirmationem judicii editi de morbo a teste medico ; & in unanimi illo universorum consensu unanime præfert judicium omnium medicorum, quorum propterea defectum apertissime supplet.

4 Neque , ut censor autumat (§ 4. 5. 6) testes exhibent *mancam* tantum & *informem* ægritudinis notitiam, seu ejusmodi, ut quod in præsentiarum tantummodo quærimus, de *morbi relevantia* judicare nequeamus. Aliter enim ac plane aliter senserunt vir operibus editis satis notus Alexander Pascoli, qui alias uti Peritus suffragium suum pro veritate edidit de hisce miraculis,& vir clarissimus, quem honoris causa nominamus, Joseph DeMatthæis,qui nunc iterum veluti judicialis peritus de iisdem pronunciavit.Prior enim dixit:*Febrem congruis adhibitis remediis non cessisse undique acta demonstrant. . .congrua vero adhibita medicamenta fuisse significat, quod integro mense in tanto febris ardore febriens non exaruit . . . Certam in necem in proximo fuisse ut febris terminaretur ex actis habemus . . . Et quidem eo jam devenisse legimus , ut non amplius de sanitate restituenda , sed de humatione febrienti procuranda ageretur . . . . . Nihil igitur est , ut de febris gravitate, ideoque de morbi relevantia, convenien-*

tissimo miraculi subjecto, dubitemus. Alter vero scripsit : *Trigesimus jom vertitur febris dies : ob extremam virium debilitatem æger mortuo similis jocet : loquela ac sensuum omnium ministerio caret: fociem cadavericam præbet: a medicis derelinquitur, quia mortuus mogis quom moriturus videretur.* Huic statui deinde opponit subitam sanationem , & rogat : *Quomodo igitur miraculum hujusmodi in dubium revocare poterit homo etiam modicæ fidei?* Peritorum itaque judicio non *manca* non *informis* exhibetur a testibus morbi notitia , sed adeo *perfecta* ac *distincta* , ut de ejus gravitate ac relevantia plane non sit ambigendum . Quamobrem , si tuto semper pronunciare licet, etiam in dubiis , quoad causam peritorum judicio definitam , maxime vero si agatur de peritis judicialibus , veluti toties Rota confirmavit (*Decis. 26. num. 20. port. 10. Decis. 56. num. 2. part. 12. Decis. 521. num. 5. ibid. Decis. 339. num. 18. part. 19.*) profecto sententia de certa morbi relevantia erit *eo tutior in hoc casu , quo semel & iterum facta est a peritis recognitio &c. qui periti unanimes retulerunt de veritate* (*Decis. 211. num. 50. 51. part. 19. Recen.*).

5 Verum de febris indole dubitat (*cit.§§. & §. 8. & 9.*) arbitratus , *malignæ* epitheton addit um fuisse febribus ab inscitia medicorum , neque ullam febrim peculiariter designare. At peritus Pascoli jam scripsit , *malignum* in febribus idem esse medicis ac letale : *febrim illam* , ait , *ut malignam certo notondam esse contendunt , quæ congruis adhibitis remediis non cedit , & in necem terminatur* : idque nunc confirmavit judicialis peritus asserens : *illud pro certo haberi debet, semper gravem , periculosam , letalem febrem tali nomine dignam intelligendam esse.* Hic autem id unum quærimus; num febris de qua agitur eam exhibeat *subjecti relevantiam* quæ necessaria est in miraculis : id vero præstari a letali febri nemo negaverit : ergo morbi *indoles* in subjecta materia satis perspicue innotescit.

6 Neque id a nobis pro lubitu in causæ commodum excogitari credendum est, quandoquidem judicia a Sacra ista Congregatione aliis in causis edita sententiam istam confirment. Sit pro omnibus sanatio Fratris Seraphini Puglisi Ordinis Carmelitarum a *febri maligna* quæ secundi miraculi loco habita est in Canonizatione S. Rosæ Limanæ , uti videre est in Bulla apud Fontaninum ubi legitur : *Vir iste religiosus maligna febri letaliter exustus , ac decimo sexto suæ infirmitatis die omnino derelictus a medicis constanter asseverantibus, hora quinta aut sexta noctis proxime insequentis expiraturum , jamque omissa loquela et visu, luctans cum ultimo agone , mox ut opem Beatae Rosae toto corde imploravit , eamdem habuit manifeste conspicuam , subitoque valens , incolumis , vegetus ; cum stupore omnium evasit.* Nil certe casui nostro similius , nisi quod noster gravitate præstet ,

tum quia Fr. ille Seraphinus septendecim tantum diebus, Ignatius vero totis triginta febri fuerit exustus, tum quia ille sibi adhuc ita constaret, ut *toto corde* Beatam invocare posset, hic vero nihil plane sentiret aut intelligeret. Ceterum ad propositam quæstionem quod attinet, ex hujus miraculi approbatione luculentissime patet 1. nec vagam, nec mancam, nec informem ab hac Sacra Congregatione existimatam esse notitiam, quæ morbum exhiberet *febris malignae* nomine designatum: 2. Ipsam sollicitam, uti fuit semper, de relevantia subjecti, subjectum vere arduum agnovisse in subita sanatione a febri maligna. Qua de re, prætermissis etiam præcedentibus observationibus nostris, hoc unum factum perspicuam exhibet confutationem eorum omnium, quæ hactenus contra morbi indolem & gravitatem animadversio congessit.

7 At observat (§. 10.) febrim in Ignatio non adeo gravem fuisse videri, cum ipsum ne compulerit quidem ad vestes exuendas, uti patet ex ejus deambulatione statim a sanatione, quæ contigit ex itinere. Verum populi qui vestibus induti in storeis quiescere solent, vestibus etiam induti in storeis ægri decumbere consueverunt. Quod si etiam hunc gentis usum seponas, facile dederis, eum, qui jamjam moriturus de pago ad pagum sepeliendus transferebatur, minori certe difficultate potuisse vestibus indui quam traduci; ac propterea e vestibus argumentum promere non licere contra gravitatem morbi.

8 Eorum vero casus qui graviori in dies vi morbi pressi, asphyxia intercedente, mortem oppetiisse videntur, & licet in eo statu satis diu maneant, aliqua tamen causa excussi tam celeriter ac perfecte convalescunt, ut extemplo consistere valeant & ambulare (anim. §. 11.); hi casus, inquam, sicuti prorsus alieni sunt a casu nostro, sic nihil plane probare possunt adversus gravitatem ægritudinis de qua agimus. Principio enim ipsum *asphyxiae* nomen pugnat cum febri; asphyxia namque sonat *sine pulsu*; febris autem non intelligitur absque *pulsus excitatione*: certum vero est, Ignatium jugi febri exarsisse usque ad exitum. Præterea asphyxia, uti communiter a medicis et ab omnibus accipitur, non complectitur tantummodo pulsuum defectum, sed suspensionem apparentem vitalium omnium functionum, quæ in asphycticis ita delitescunt, ut plane interceptæ videantur, ac præferant mortem apparentem. Quid quæso hujusmodi in Ignatio? Quæ vitales functiones in eo extinctæ? Quæ species mortis in illo, qui ne moreretur in oppido ubi sepeliri nequivisset, ad alium transferebatur antequam animam efflaret?

9 Ad haec articulus ipse dictionarii, quo animadversio utitur, disjunctissimam ostendit asphyxiæ speciem ab ea de qua agimus. Statuit ibi Auctor asphyxiam induci ab aliqua e causis

quæ officiant respirationi, vel circulationi, vel innervationi, quia alterutra ex hisce functionibus suspensa, reliquæ necessario intercipiuntur. Ei divisioni inhærens Auctor sejunctim deinde agere pergit *dell'asfissia per annegamento — per impiccatura — indotta dai gas — dagli smaltitoj e dalle fogne — dal fulmine — dal freddo — dal calore eccessivo.* Recenset postea quamplures casus, in quibus asphyctici diutius prætulerunt apparentis mortis speciem, atque observat, eas omnes referendas esse ad causam aliquam, quæ interceperit sive respirationem, sive circulationem, sive innervationem, cujusmodi sunt *l'apoplessia, la catalessi, le convulsioni, la corea, l'estasi, l'isterismo, l'ipocondria, la sincope, il tetano,* o *spettanti a perdite sanguigne eccessive, e certe specie di avvelenamento ecc.* Et concludit: *E' dunque provato che uno stato di morte apparente può durare parecchi giorni, massimamente in caso di malattie del sistema nervoso.* At febris maligna nil commune habet cum hisce affectionibus, nec natura sua recta impetit apparatus respirationis, circulationis, innervationis: igitur ipse articulus, qui appellatur, satis aperte docet, asphyxiæ casus toto caelo discrepare a febri maligna.

10 Denique si in asphyxia sæpe fit, ut ægri excitati, illico, vel saltem perbrevi tempore surgant & valeant, id tunc fit, cum, integris corporis viribus, aliqua intercessit causa, quæ asphyxiam induceret, ex. grat. aer inrespirabilis: tunc enim affectionis causa sublata, restitutaque respiratione, corpus illico redditur functionibus suis. At si asphyxia ad morbum accedat, qui vires jam exhauserit, vires certe non restituentur asphyxia sublata, & æger, si non in deteriori, certe in eodem aegritudinis ac imbecillitatis statu manebit, in quo versabatur ante asphyxiam. In casu autem Ignatius noster, qui subito convaluit & ambulavit, exustus fuerat ac enectus ab ardente triginta dierum febri, ad eumque imbecillitatis statum adductus, ut jam sensibus plane careret. Ejus ergo casus nihil commune habebat cum eorum asphycticorum casu, qui integris utentes viribus, sublata asphyxiæ causa, statim actioni restituuntur.

11 Sive ergo spectes vim nominis asphyxiæ, sive ejus naturam, sive casus in quibus ipsa celeri sanitati locum dare potest, facile fortasse arbitraberis, nil magis disparatum ab aegritudine Ignatii proferri potuisse asphyxia, unde colliges absonum prorsus esse a tanta rerum discrepantia extorquere velle argumentum a simili. At si neque id argumentum neque ceteræ observationes excogitatæ in indolem, & gravitatem morbi officere ullo pacto potuerunt propositi subjecti perspicuitati & relevantiæ, jam patet, prius miraculi extremum, quod sistit in existentia, qualitate, & gravitate morbi, esse luculentissime probatum.

12 Brevior erit de altero extremo disceptatio. Quod enim sanatio

inciderit in diem trigesimum, quo die morbos aliquos suapte natura decedere observavit Hippocrates (anim. §. 12.) ad rem non facit duplici ex causa, 1. quia si aliquot ægritudines suapte natura declinare possunt trigesimo die, nequeunt certe eo die penitus abigi extemplo, perfectæque valetudini concedere potissimum sine ulla crisi, 2. quia morborum remissio concipi nequit, nisi naturæ vires prævaleant. Nostro autem in casu aeger viribus ita destitutus erat, ita per continuos triginta dies fractus a morbi vehementia, ut imbecillitate corporis jam ad extremum adducta, sensuum omnium usum amisisset.

13 Quam probabile sit autem quod subjicitur (§. 13), extremum hunc morbi statum tribuendum esse syncopi vel asphyxiæ, jam vidimus; & inde propterea liquet etiam, quam probabile sit, ex *concussione* excitari potuisse hominem, qui vitalibus viribus jam plane deficientibus ad mortem properabat. At, inquis, id fieri potuisse *potiori jure idcirco censemus, quod penitus nos lateat, deprimentibus, an excitantibus pharmacis, & qua tandem diæta curatio fuerit subministrata.* Non diffitemur, nominatim enumerata non fuisse a testibus aut descripta adhibita pharmaca; sed ipsa rei historia docet, ea idonea esse debuisse ad vim morbi leniendam, deprimendumque febris æstum, uti scite abservavit peritus Pascoli inquiens: *congrua vero adhibita medicamenta fuisse significat, quod integro mense in tanto febris ardore febriens non exaruit.* At quo aptiora existimamus medicamenta, eo clarius eminet morbi vis, quæ aptissimis etiam obstitit medicamentis. Quod si credere malis inepta medicos egisse cum ægro, tunc & medicamina, & morbum in ægri mortem conspirasse concedere fateberis. Utcumque vero in casu non inficiaberis, extremam virium imbecillitatem celeri cuilibet sanationi viam præcludere necessario debuisse.

14 At instantanea sanatio tribui fortasse potest alicui aberrationi naturae, quae ab assueto tramite aliquando declinat (§ 14.) Tute ipsi objectioni respondes dum subdis: *Quoties de miraculis agitur . . . NATURAE VIRES CERTIS QUIBUSDAM FINIBUS OBSEPTAS penitus pervestigare ac METIRI DEBEMUS, ut exinde percipere recte possimus, an singularis alicujus morbi sanatio ejus virtuti sit adscribenda.* Atqui certi illi fines, qui naturæ vires obsepiunt, designantur a constante naturae lege, cujus uniformis & perpetua observatio docet, ea omnia esse physice possibilia quae legi eidem non adversentur, quae vero adversentur impossibilia. Constans autem naturae lex est, ut nihil repente fiat, nihil per saltum, sed universa per connexionem naturalium causarum cum suis effectibus, universa ordinate & gradatim. Constans idcirco naturae lex est, ut morbi quidem depellantur, etiam graves, etiam diuturni,

sed per gradus serius ocius, prout actio medicaminum, vel etiam benignae naturalis criseos partae a vitali vi praevalente, aegritudinis malitiam serius ocius attenuare valet ac abigere, prostratasque vires restituere. Ac propterea contra naturae legem est, ut corpus prorsus enectum a prolixa teterrimaque aegritudine non modo ejus malitia extemplo purgetur citra ullam crisim, sed plenissima etiam virium integritate augeatur. Itaque si considerentur, uti postulabas, *naturæ vires*, prout sunt, *naturalibus quibusdam legibus obseptae*, hæ leges clara voce clamabunt, factum de quo agitur extra naturae vires positum esse.

15 At fortassis ipsa medicaminum cessatio, medicorumque recessus, uti aliquando fit, salutem attulit aegro. (§ 15) Id non raro usuvenire concedimus, nec sine causa monitum arbitramur (Eccli. 38. 15.) *Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum*, *incidet IN MANUS MEDICI*. Verum, ut id fiat, necesse est in primis, ut naturae vires praestent viribus morbi; deinde, id non fit nisi per gradus. Ea ergo observatio accommodari nequit casui nostro, ubi et naturae vires plane deficiebant, et sanatio citra ullam crisim illico perfecta est.

16 Cum autem hic desinat animadversio, taciteque idcirco fateatur sibi nihil jam superesse quod huic miraculo opponat, quis non videat eam dare manus victas quoad alterum miraculi extremum seu *instantaneitatem*, cui nil aliud objicere valuit, quam *possibilitatem* naturalis *declinationis* morbi (non perfectae sanationis) vel ex critico die in quam sanatio incidit, vel ex cessatione medicaminum, vel demum ex nescio qua naturae aberratione pugnante cum legibus, quibus naturam ipsam obseptam fatetur?

MIRACULUM SECUNDUM

Instantaneae sanationis Santiagi Gasparis a Paralysi cum atrophia contracta a nativitate.

17 Ad diluendas illico objectiones omnes nil aptius simplici rei narratione, uti a testibus editur. Sanati pueri pater deposuit (sum. pag. 98 et seg.) » *Nell' anno* 1719 *mi nacque un figliolino*, *che dalli piedi fino alla cintura era a guisa* » *di uno scheletro*, *di modo che tutte quelle parti erano* » *inaridite ed incapaci di moto* . . . Nell' anno 1722 . . . *in* » *giorno di mercoledi* (quo die ipse perrexit cum uxore ad » locum martyrii Ven. Ioannis de Britto soluturus votum » editum pro partu alterius infantis) . . . tanto io che mia » moglie ci raccomandammo al Venerabile Padre (idque accidit *sul mezzo giorno*, uti uxor notat summ. pag. 104. » §. 45.) acciò volesse impetrarci la salute dell' altro figlio- » lino, che *si trovava già per lo spazio di tre anni nello*

» *stato sudetto* . . . da noi allora lasciato in casa di una sua » zia sorella dell' Avo. Il giovedì seguente . . . un nostro » amico . . . ci diede nuova, che *il nostro figliolo infer-* » *mo* che era restato colla sua zia, *il mercoledì antece-* » dente *sul mezzo giorno si era alzato in piedi*, *ed aveva* » *fatti alcuni passi* . . Il venerdì mattina . . . con ammi- » razione *vidi* cogli occhi proprii *il figliolino camminare co-* » *me qualsiasi altro della sua età, e colle gambe già rinsu-* » *gate di carne* » Haec autem omnia plenissime confirmantur a ceteris testibus in summario (a pag. 99 ad 103.)

18 Quatuor inde manifestissime patent. 1. Non aliam esse potuisse aegritudinem pueri, nisi perfectam completamque paralysim inferiorum artuum puero cognatam, et cum ariditate partium conjunctarum. 2. Eamdem aegritudinem veterem fuisse sanationis tempore quippe quae tribus jam annis perstiterat. 3. Ipso in instanti invocationis *mercoledì sul mezzo giorno* emortuis membris inditum fuisse vigorem plane ignotum. 4. Quadraginta et octo horarum spatio per novam, ut ita dixerim, creationem succum aridis artubus accessisse *il venerdì mattina vidi le gambe già rinsugate di carne*. Nonne itaque jure ac merito judicialis Peritus asserit: *nullum proinde dubium de miraculo in hujusce pueri instantanea et perfecta sanatione*, *carne*, *robore*, *et motu illico recuperatis*, *nullo adhibito artis remedio?*

19 Quid ad haec animadversio? Dubitat primum de qualitate et gravitate morbi (§. 17. 18.) quia nullus medicus de ipsis deponit, cum nullus ad curandum puerum fuit accitus. Id vero in casu maximopere officere arbitratur, tum quod Benedictus XIV (lib. 4. part. 1. cap. 8. num. 4.) necessarium plane censeat peritorum judicium, tum quod *la cura di tal condizione morbosa è talvolta facile*, *e tal altra impossibile*, *secondo che si può rimuovere*, *o no la cagione che l' ha prodotta*, *e secondo il guasto che nell' organismo malato è accaduto*: de quibus sane solus medicus judicium ferre potest.

20 Quoad Benedicti XIV. auctoritatem animadvertemus; perperam in casu citari lib. 4. part. 1. cap. 8. num. 4. ubi Pontifex agit *de peritis judicialibus* & citandum potius fuisse lib. 3. cap. 7. num. 8. & 9., ubi data opera quærit, num depositiones medicorum curæ *utiles* sint & *necessariæ*. *Ibi utilitatem* ipse asserit, uti & nos asseruimus in præterito miraculo; de necessitate vero, multis disputatis, concludit: ea tantum miracula sine medici testimonio *admittenda esse existimarem, ubi ceteri testes apti & idonei clare qualitates morbi assererent, ubi morbus ex eis esset, qui per se patent, & etiam a non medicis & chirurgis cognosci possunt, ubi medicamina ab eis exprimerentur quæ ægroto fuerunt adhibita, ubi de statu antecedenti desperato, & de subita sanatione, invocato prius Beato una cum virium recu-*

peratione testificarentur. Jamvero in casu testes diserte narrant *qualitates morbi*, aegritudo ex iis est quæ *per se patet* cuivis imperito, *nulla* adhibita fuerunt *medicamina*, *status* sanationem *antecedens* ex ipsa natura morbi *desperatus* erat, *sanatio subita* fuit cum *virium recuperatione*: ergo ex Benedicti XIV. sententia medici depositio in casu necessaria non est.

21 Nec magis necessaria credi potest, si considerentur morbi qualitas, exordium, & causa. In puero prorsus expertes erant motus & sensus infernæ corporis partes: juxta Galenum autem (apud Pascolum in voto) nihil aliud est paralysis, quam *nervi & corporis partes sensus & motus expertes perfecte vel imperfecte*. Ergo pueri morbus erat *perfecta paralysis*. Accedebat ei affectioni atrophia: & juxta Hippocratem (ibid.) *quibus una cum hoc, quod movere non possunt, morbosa corporis pars attenuatur, hi in sanitatem restitui non possunt*: puer ergo, cujus corporis partes non modo attenuabantur, sed *era uno scheletro*, sanari nequibat. Praeterea hæc ægritudo non adventitia erat sed cognata: morbus vero hujusmodi congenitus oritur ex nervorum prava conformatione & distributione, juxta Sennertum aientem (ibid.) *ab ortu nervis recte non conformatis, & quo decet non ductis motus impotentia accidere potest.* » Quo posito (subdit Pascolus) legittime indubieque deductum habes, *nervos* illos inter eos qui a spinali medulla emergunt, maxime » crurales, ab ortu *vel recte non conformatos*, non quo decet, » scilicet *ad crura ductos non fuisse* »: ergo & causam morbi perspectam habemus, & gravissimum detrimentum inferiorum artuum organismo inde partum, & impossibilitatem ei occurrendi: Et hæc omnia sine teste medico. Ergo in casu ubi & qualitas, & incurabilitas, & causa, & damna morbi luculentissime demonstrantur absque ope depositionis medici, medico certe teste non egemus.

22 Post hæc levitatem morbi arguere a neglecto pharmacorum subsidio (anim. §. 18) jocari potius est quam objicere. Prona est enim responsio: in re plane desperata ideo neglectu fuerunt medicamina, quia evidenter inutilia; nec aliter respondit pater ea de re rogatus a judicibus: *non fu applicato verun rimedio al mio figliolo*, inquit, *perchè giudicai ogni cosa inutile* (sum. pag. 99. § 7). Quare ex hoc potius infertur gravitas & insanabilitas morbi. Si enim parentes, caeteroqui divites & filii sui amantissimi, nullum artis peritum ad curandum morbum vocaverunt, nulla medicamina adhibuerunt, profecto debebat ita evidenter constare de naturali insanabilitate, ut nemo vel rudis de illa dubitare posset.

23 At morbus hic perstabat ne in sua gravitate cum sanatio contigit? Nos certo id ignoramus, inquis (§ 22. 23. 24.) nam puer procul a parentibus mansit aliquamdiu apud aviam; ista examini subjici nequivit, quia præmortua; reliqui testes

rem ex propria scientia non noverant; & præterea non levis urget suspicio, quod avia ipsa parentibus diligentior aptam nepoti medelam adhiberi curaverit, & quod puer ea fotus, ac beneficio aeris fortasse purioris, et exquisitissimi cibi, melius habere caeperit. Docente autem Heistero = *quibus morbi symptomata non augentur, sed potius minuuntur, non est quod de eorum statu dubitetur* =

24 Per hæc nodus in scirpo quaerimus, demonstrata jam, uti fuit, morbi indole et ostensa ejus *incurabilitate* tum ex atrophiæ accessione, tum quod morbus inveteratus esset et congenitus, tum ex irreparabili naturali vitio nervorum et musculorum. Hisce tamen missis, suspiciones istæ omnes nituntur hypothesi plane commentitia diuturnæ commorationis pueri apud aviam, quam *ex summario* se *comperisse* arbitratur (§. 22.) Verum summarium alia omnia suadet, et haud obscure innuit, parentes *tunc tantum* puerum, quem secum afferre nequibant, aviæ tradidisse, *cum* ipsi votum soluturi pro recenti partu pergebant ad locum martyrii Ven. Joannis de Britto cum altero infante quatrimulo, quem ei acceptum referebant. Et sane pater, dum refert preces a se atque uxore ibi fusas etiam pro altero infante paralytico, hunc asserit ALLORA *lasciato in casa di una sua zia* (sum. pag. 98. in fin.) et mater inquit, *avevamo* **LASCIATO** *il putto* **IN CONSEGNA** *di min zia* (ibid. pag. 105 § 46.) et Testis XXV., qui pueri parentibus sese adjunxerat, ait: *il putto era restato colla sua zia* (ibid. pag. 100. § 13.) Adeo vero abest, ut haec omnia diuturnam commorationem designent, ut potius apertissime ostendant, parentes domo discedentes utrumque puerum secum assumpsisse; sed cum molestam in itinere experirentur duorum accessionem, quorum uterque ulnis deferendus erat, ut uterque peculiaribus plane curis egebat, cumque id unum sibi proposuissent, ut votum solverent editum pro partum alterius infantis, divertisse ad aviam pueri, eique tradidisse infantem paralyticum: nam id prorsus et perspicue exprimunt verba *putto allora lasciato — lasciato in consegna — restato colla sua zia*. Id porro contigit feria quarta, quippe eo die, ut uterque conjux ait et praesertim uxor (sum. pag. 104. §. 45.), ad locum martyri perrexerunt: *ci portassimo a compire il voto visitando in un mercoledì il luogo del martirio*: ibi expletis omnibus quæ voverant, novas sub meridiem *sul mezzo giorno* (ibid.) ejusdem diei fuderunt preces pro alio puero absente = et eo ipso die et eodem momento, puer qui manserat apud aviam surrexit et ambulavit: *il mercoledì sul mezzo giorno si era alzato in piedi, ed aveva fatto alcuni passi* (ibid.) pag. 99. § 3. pag. 105. § 46: sic ut puer tanto tempore æger manserit apud aviam, quantum intercessit inter initium itineris parentum, et invocationem ab iis factam in loco martyrii, seu a matutinis horis ad meridiem. Quis ergo non videat quam solertem curam toto

eo tempore medici puero impendere potuerint. 2. Quis non intelligat quam ipse proficere valuerit tum eorum curis, tum aere puriore, tum exquisitiore cibo? Quis non vereatur, ne vis morbi tamdiu oppugnata interea remiserit, potissimum cum de aegritudine ageretur facilis prorsus atque expeditæ curationis?

25 Subjicit tamen Animadversio (§ 20. 21. 25) ipsam sanationem natura opitulante contigere potuisse, maxime cum puer ea versaretur in ætate, qua infantes convalescere solent. Fortasse etiam imbecillitas et atrophia inferiorum artum, quæ impedimento erat nutritioni, submoveri potuit per nisus, quos infantes edere consueverunt dum membra protendunt. Sublata vero causa, pronum erat ut arescentibus partibus caro succresceret. Id autem fieri potuisse suadet sanationis modus qui instantaneus non fuit, cum puer antea aliquot gressus facere caeperit, consequentibus vero diebus carnosos artus prætulerit.

26 Hæc omnia, ut patet, aerem verberant, cum commentitia nitantur hypothesi. Ponunt enim 1. morbum partum fuisse ab adventitia aliqua causa, quæ submoveri valeret. 2. Puerum per artus aridos, & in artubus aridis ac plane emortuis nisus aliquot edere potuisse. 3. Sanationem non fuisse instantaneam. 4. Ipsam censendam esse unum idemque cum carnis accessione. 5. Demum, hanc quoque accessionem contigisse per gradus: quæ omnia adversa fronte pugnant et cum facti specie, & cum iis quæ demonstravimus, & cum miraculi notione. Constat enim pueri morbum non adventitium fuisse, sed congenitum, ortumque ex gravi organica læsione; ac propterea irremediabilem. Constat, infantem cui *pendevano quelle parti aride ed ischeltrite, senza carne, ed incapaci od un minimo moto* (sum. pag. 104 § 43) nequivisse omnino in iis et per eas ullum edere nisum. Constat sanationem morbi, qui usque ad id tempus in sua malitia perstiterat, contigisse in instanti physico, & eo ipso momento,quo parentes absentes orabant pro puero. Constat eam sanationem non mancam fuisse, nec concisam, sed omnino perfectam dum affectis partibus vitalem iodidit vigorem quo ea tenus plane caruerant, & cujus ope puer illico gressus facere potuit, ac emortuis antea cruribus insistere: nam perfecta sanatio in hoc sita est, *ut qui momento sanitatem recepit, possit ea immediate facere quæ ante morbum facere poterat*(Ben.XIV. lib. 4part. 1 cap. 8 num. 22) seu ea quæ sanus quisque facere. Ac propterea carnis accessio paulatim perficienda merum fuisset consectarium prodigiosæ sanationis, per quam vitiosi nervi, ac muscoli vel producti, vel correcti, vel restituti fuerant; atque ita parati meatus ad partium nutritionem. Sed ut prodigium quodam etiam creationis nitore fulgeret, caro quoque addi voluit gracilibus adhuc, licet restitutis, corporis partibus, idque duorum dierum spatio, seu tanto tempore,

quanto plane impossibile erat, ut cibus ad graciles partes informandas necessarius sumeretur, concoqueretur, ac suppeditaret succum illum *quem chylum vocamus*, *quique in sanguinem per sibi propria et peculiaria vasa commeans, per universum corpus ad ejus alendas partes diffunditur; in earumque substantiam convertitur* (Pascolus in suo judicio) Qua de re prodigiosam hanc accessionem *moraliter instantaneam* demiratus prior Peritus scripsit; *Hunc novae carnis adventum generationem ne, an creationem vocabimus? Creationem potius: quandoquidem nullo intus præexistente, aut extrinsecus accedente subjecto, caro succreverit.* Hæc autem omnia & alia etiam ad evidentiam deducta sunt in præcedenti Responsione a pag. 24 ad 36. quæ hic iterum non videntur trascribenda. Quare in tanta subjecti arduitate, in tam evidenti instantaneitate sanationis, in tanto prodigiosi operis splendore, quid jam de miraculi certitudine ambigemus?

MIRACULUM TERTIUM

Subitae sanationis Joannae Pallà
a pessimo leprae genere.

27 Adversus clarissimum hoc miraculum eadem prorsus reguntur, quæ jam explosa fuerunt & a veteribus patronis & a doctissimo Perito Pascoli; sic ut id unum nobis supersit, ut veteribus objectionibus veteres opponamus responsiones, recenti nunc judicialis periti suffragio confirmatas. Age itaque. Obiter Animadversio principio queritur (§. 28.) prætermissos eos fuisse testes, *quorum maxime interfuisset testificationes expendere*. Si id scripsit impetitura *regularitatem* probationum, impossibilitas moralis alios habendi testes, de qua supra diximus, omnem abiget suspicionem; sin potius vellicare voluit *firmitatem*, quæstio tota pendebit ab examine quod inituri sumus de certitudine qualitatis, & gravitatis morbi: nam si hæc plane demonstrari valeant per probationes quæ suppetunt, ceterae omnes probationes supervacaneæ censendæ erunt, adeoquo non exquirendæ. Nec satis aequæ Censor ex similitudine depositionum carpit exhibitos testes, quasi *ex condicto* deposuerint; perspectum enim ei esse debuit, ipsam depositionis materiam, quæ sistit in *iisdem* morbi symptomatibus tradendis, secumferre necessario quamdam verborum identitatem, & perspectum pariter debuit habere, testes quidem deponere, sed eorum depositiones a Judicibus, vel sub-Promotore dictari notario; quibus propterea nisi præsto fuerit satis ampla vocabulorum copia, quibus diverse reddant depositiones non absimiles, necessario fiet, ut testes videantur per eadem pror-

sus verba deposuisse, iisque ita affingatur vitium non suum. Jam ad rem.

28 Joannam inquis (§. 28. 29.) *pessimo leprae genere* fuisse affectam testes quidem asserunt, sed nec lepræ speciem tradunt, nec symptomata a Bened. XIV. descripta, unde species facile nosci posset. Videamus itaque quid ipsi tradiderint, & num inde morbi species & gravitas argui valeat. Chirurgus dixit (Summ. pag. 106. §. 2. 3.) » Accessi & » vidi (*ægram*) non solum vitiato cutis colore, sed ma- » nuum, & pedum digitos omnes foeda ulcere putridos, » sanie & fætore scatere . . . . collatis per sex menses con- » siliis omnia experti sumus. Interim gravescente in dies » morbo, jam ungues putridae corruerant, jam digiti om- » nes diminui coeperant, & jam talis emanabat pessimus » odor, ut ad illam accedere non possent ». Ceteri omnes testes consentiunt, non diffitente censore, qui eos *ex condicto* deposuisse suspicatur.

29 Hinc colligimus, morbum, cum chirurgus accessit, fuisse jam veterem & confirmatum, eum deinde sex mensibus obstitisse remediis, postea vero semper in deterius abiisse. Et colligimus præterea ægram prætulisse vitiatum cutis colorem, foeda ulcera in manibus & pedibus, digitos extenuatos, & sanie scatentes, collapsos ungues putredine corruptos, pessimum odorem, quo omnes ad eam accedere prohiberentur. Jam qui cum medicis & Bened. XIV. (lib. 4. par. 1. cap. 17. numer. 5.) lepram distinguat *in siccam, vel squamosam, vel furfuraceam, quam grecorum dicunt atque in* ***SANIOSAM***, & magis ***MALIGNAM***, *quam Arabum appellant, seu* ***ELEPHANTIASIM***, non dubitabit quin ad alteram hanc speciem referenda sit lepra de qua agitur. Et sane Celsius (medic. lib. 5. cap. 28) de hac specie ait = Quartum genus est quod » curationem omnino non recipit . . . . Subalbidum est » (en vitiatum cutis colorem) squamulasque habet palli- » das, quasdam subalbidas, quasdam lenticulæ similes &c. » » Hæc vero omnia maxime genera (scilicet tria priora » lepræ genera de quibus supra disseruerat, & hoc quar- » tum etiam oriuntur in pedibus & manibus, & ungues » quoque infestant) vides cur manus præsertim & pedes » ægræ afficiuntur. » (Et alibi) (lib. 3. cap. 15.) » Totum « afficitur ita, ut ossa quoque vitiari dicantur: summæ par- » tes corporis crebras maculas . . . . habent » (vides rursum vitiatum cutis colorem). Et Sennertus (medic. præt. lib. 5. par. 1. cap. 40) de elephantiasi agens, ait » Grave » malum est, et veluti universalis totius corporis cancer: » partes exulcerantur, & corrumpuntur, ut tandem deci- » dant » signaque diagnostica hujus morbi tradens, inquit » » anhælitus foetet &c. in manibus musculi extenuantur &c. » ungues finduntur ». Eademque elephantiasis indicia ex

opere Guglielmi Ader *de morbis evangelicis* tradens Cornelius a Lapide (in Luc. 17. 12.) scribit: signum » est foetor » anhelitus , totiusque corporis male sapida , olidaque aura » . . . . In leproso membrorum extrema (rursus observa cur in ægra manus & pedes potissimum corrumperentur) » putredine & sanie exesa decidunt ». Jam si hæ sunt præcipuæ elephantiasis notae apud medicos , si omnes istæ notæ conveniunt in ægram nostram , si elephantiasis juxta Bened. XIV. *magis maligna* est inter lepræ species , si hæc species juxta Celsum *curationem omnino non recipit*, in comperto sane est , & ægram nostram vera laborasse elephantiasi , & testes luculenter hanc lepræ speciem designasse , cum puellam affectam dixerunt eo lepræ genere quod omnium *pessimum* est.

30 De *qualitate* ergo morbi jam nulla quæstio; *gravitas* vero ex his quæ diximus satis patet. Verum si plura desideras, audi Sennertum de istius ægritudinis prognosticis dicentem (cit. cap. 40.) » malum hoc esse gravissimum, & revera nonnisi in- » cipiens & in initio curam recipere , quamquam cum dif- » ficultate: *confirmata* enim , & *inveterata elephantiasis curationem plane respuit* ». Nec mirum. Etenim , Mujctano docente (apud Pascolum) » lepra non solum cuticulam , » cutisque profundiora polluit & lacerat, sed usque in sub- » jectam pinguedinem suum diffundit contagium, quam de- » pascitur , et *ob sal acrius & abundantius intimius pene-* » *trat* , unde fit contagium in pinguedine quod serositatem » corrumpit » qua de re animadvertit Avicenna (apud Bened. XIV. loc. cit. num. 5.) » quomodo curabitur lepra , » cum sit cancer universalis , quando cancer particularis » medicamina nescit ? » Ergo Joannæ lepra et ex pessima qualitate , & eo quod vetus esset ac confirmata , gravissima erat & plane incurabilis , ac propterea arduum in primis miraculi subjectum.

31 Solutas per haec censere possumus objectiones omnes in prius miraculi extremum congestas. Et sane: animadvertis (§. 30.) lepram , si pessima fuisset , non debuisse vitiatum tantum exhibere cutis colorem , nec præferre saniem circumscriptam manibus et pedibus. Atqui ex medicis nuper didicimus , elephantiasim , seu pessimam lepræ speciem se maxime prodere in manibus et pedibus , cutem vero vitiare per subalbidum colorem, crebrasque maculas hic illic corpori respersas , malitiam autem morbi totum corpus afficere: quod quidem in aegra contigisse teterrimus oris halitus testabatur, qui ,, vitiatam internorum viscerum structuram , tabemque ,, ad intima quaeque corporis transductum luculentissime declarabat ,, (Pascolus in suo suffragio). Ergo notæ a testibus traditae evidenter ostendunt , lepram puellæ fuisse revera pessimam.

32 Ais (§.31.) neque digitorum tabem, neque unguium solutionem tanti esse, ut morbi gravitatem confirment; cum in aliis ægritudinibus videamus corpus per copiosam puris emissionem purgari: At si id contingere potest in aliis morbis ubi natura per saniem prorsus humores expellit, contingere id certe nequit in elephantiasi, ubi acredo illa, qua corpus exeditur, non modo non exeritur cum sanie, sed *ob sal acrius et abundantius intimius penetrat, unde fit contagium in pinguedine qui serositatem corrumpit*, et per ipsam fluidorum circulationem *humorum universitatem conspurcat* (Pascolus)

33 Verum fieri potuit (Animad. §. 32.) ut ea medicamina, quæ diu incassum adhiberi visa sunt, vires suas postea exercerent, puellamque adducerent ad sanitatem. Respondit jam Pascolus id fieri tantum posse cum aegri „ et in usu, et post usum medicamentorum, nisi proficiant in melius, „ in deterius saltem non ruunt. Rursus post aequum tem- » poris, *quod multum esse nequit*, intervallum „ Aegra autem semper in deterius abiit, ita ut Chirurgi de ea prorsus desperaverint, et deinde *per multum tempus nullo adhibito medicamine* vivere perrexit (Sum. pag. 106. §. 4.) ergo proposita observatio ei accommodari nequit.

34 Addis (§. 33.) compertum non habemus postremum morbi stadium; atque idcirco merito ambigimus, num ante sanationem is esset in ultima parte sui status, ita ut non multo post declinare deberet. Incompertum ne ultimum morbi stadium? At de aegrae statu post Chirurgorum secessum, et ante sanationem disserentes testes ajunt: *ingravescente in dies morbo — exasperato in dies ulcere — in dies crescebat morbus — in dies creverat morbus.* Quid clarius ad designandam invalescentem quotidie morbi malitiam usque ad extremum? Tradunt deinde translationem aegrae ad locum Martyrii Ven. Joannis de Britto, & inquiunt: *nec pedem humi figere poterat — pedem humi figere nequibat — infirmam puellam humeris transportavimus* = Quæ certe declinantem morbum non designant. Postea sanationem describentes narrant, quatuor dierum spatio in integrum restitutam fuisse puellam *crescentibus unguibus, carne, nervis & pelle — Crescentibus carne, pelle, nervis, & unguibus — Crescentibus carne, pelle, & unguibus — ad naturalem statum digitis omnibus una cum ungulis crescentibus — ad naturalem statum digitis cum unguibus perfecte crescentibus.* Si post sanationem tantum caro succrevit, si tunc primum digiti restituti, si tunc enati ungues; evidens est, immediate ante sanationem & ungues defecisse, & carnem fuisse exesam. Sive ergo consideres quæ de ultimo morbi stadio Testes dixerunt, sive quæ de itinere ad locum Martyrii, sive quæ de sanatione, undique exploratam habes morbi perseverantiam usque ad extremum.

35 Hanc de existentia, indole, & gravitate morbi: jam de sanatione. Hanc censor (§.34. 35. 38. init & 37) per naturalem crisim perfici potuisse arbitratur partam a menstruis, quæ paulo ante sanationem puellæ fluere cæperint. Quippe si id improbabile videri non debet in puella etiam decenni in calidioribus regionibus, omnino probabile putandum est in casu, ubi ægra duodecimum fortasse ætatis annum attigerat. Nam testes de morbi exordiis disserentes, ea referunt ad annum decimum ejus ætatis: post id tempus Chirurgi sex mensibus curas suas ei impenderunt: deinde *diu* in morbo perstitit ante sanationem: sic ut, cum ista contigit, puella duodennis ferme esset: ætas aptissima catameniorum fluxui.

36 Quod spectat aetatem, liquet, communi loquendi more receptum esse, ut cum de continuo aliquo facto agitur, tempus generatim enuncietur, nulla habita ratione initii, vel exitus facti. Siquis decubuerit ex: grat: trigesimo nono ætatis anno jam incæpto, & quadragesimo vertente convaluerit, qui de ejus aegritudine, & sanatione loquentur utrique eum quadragenarium dicent; eoque generali vocabulo videbuntur tum initium, tum finem ægritudines ad annum quadragesimum referre. Id factum videmus in casu. Nono fortassis expleto ætatis anno puella ægrotavit, confirmata ægritudine acciti fuerunt Chirurgi, qui sex mensibus ei adstiterunt, postea sine medicis satis diuturnum tempus exegit, ac decimo tandem anno convaluit. Ea omnia sub unius temporis disignatione complexi Testes *decennem* dixerunt puellam, etiam ab initio morbi; nec perperam, nam decimum annum jam fortasse incæperat. Id tamen certum est, aviam, cui melius quam cæteris explorata esse debebat neptis aetas, puellam dicere *decennem* cum translata fuit ad locum Martyrii Ven. Servi Dei: *neptem meam*, ait, *ætatis decem annorum deportavi ad locum Martyrii* (*Sum. pag.* 107. § 16.)

37 Decenni vero puellæ menstrua fluere potuisse negavit Pascolus, potissimum vero deficiente pletora, & concurrente, uti in casu, tanto saniei exitu.=Menstruas tamen excretiones super= venisse, scribit, neutiquam constat ex actis, supervenire vero = potuisse decennis interdicebat inepta penitus ætas, interdi= cebat pletoræ defectus, a qua, docente cl. Hoffmanno, suam = unice noscit originem excretio; interdicebat denique saniei = perennis exitus, quæ si per aperta profluat ulcera in a= dultis tum virginibus, tum mulieribus, menstrua, no= tantibus Etmullero & Bartolino, supprimuntur = Post hæc dat Animadversioni menstrua profluxisse, & subdit = At si = vel menstruæ supervenissent excretiones, quisnam sanæ = mentis umquam suadere sibi fortasse poterit, ab illa, na= tiva quamvis eruptione sanguinis, tantum emolumenti dierum quatuor intervallo accessurum fuisse, ut quæ *pedem = humi figere non posset*, *pedibus actutum insisteret*, *ali= quantulum deambularet*, *quartoque die*, *ulceribus omnino*

= *sanatis*, *crescentibus unguibus*, *carne*, *nervis*, *&* *pelle*,
= *nulloque apparente defectu* integre convalesceret?

38 Iste ergo mensium fluxus plane excludendus est, & etiamsi admitti vellet, naturalis criseos rationem præferre non posset. At saltem, inquis, (§ 36 37), sanatio quæ quatuor dierum spatio contigit, instantanea non fuit; instantaneitatis autem defectus in miraculis tertii generis prodigii actionem excludit. In multis hic offendis. Fidenter enim statuis in casu agi de miraculo tertii generis seu de subjecto non excedente naturæ vires. Atqui nos ex Hippocrate, ex Celso, ex Avicenna, ex Sennerto, & ex Bened. XIV. ad Avicennam se referente vidimus, elephantiasim ad eum statum adductam, in quo erat puella, *nullam prorsus curationem admittere*, adeoque naturæ vires excedere quoad subjectum. Statuis deinde, instantaneitatem sanationis excludi a spatio quatuor dierum. At scitum est, non solum instantaneitatem *physicam* sanationis, sed & *moralem* demonstrare actionem miraculi: sanationis vero *moraliter* instantaneæ nomine intelligi ab omnibus de canonizatione scribentibus eam, quæ tanto tempore perfecta fuerit, quanto per naturæ vires perfici numquam potuisset. Qua de re Benedictus XIV. cæteros secutus docuit = Judex ergo tunc tantum pronunciare poterit pro *instantaneitate*, cum adhibito *peritorum consilio*, viderit, *tanto* = *temporis spatio* sanationem contigisse, *ut* eo temporis spa= tio naturalitet, hoc est *juxta naturæ vires contingere num*= *quam potuisset* = (lib. 4 part. 1 cap. 8 num. 17) In casu vero duo periti id nimirum contigisse pronunciarunt, & sanationem propterea *instantaneam* diserte asseruerunt: ergo instantaneitas in casu minime desideratur.

39 Demum, ut jam in praeterito Miraculo, sanationem confundis cum sanationis consectariis. Profecto, docente Pignatello, ad prodigiosam sanationem agnoscendam *satis est*, *sublatam in instanti esse malitiam morbi*, *quae viribus naturæ tolli non poterat*. (Consult. Canon. 54. num. 5. tom. 4.) : et ajente Castellino cum ceteris de Canonizatione scribentibus: *ut miraculum dicatur fieri in instanti satis est*, *ut in instanti tollatur malitia morbi. Quod autem postea tractu temporis obducantur cicatrices, et imbecillitas corporis ex gravi infirmitate orta depellatur, non facit cessare rationem Miraculi*. (De certit. glor. Sanctor. cap. 8. punct. 30. § 2. 3.) Et merito: nam, ut sanatio perfecta censeatur sufficit, *ut qui momento sanitatem recepit possit ea immediate facere*, *quæ ante morbum facere poterat*, uti jam alias animadvertimus ex Bened. XIV. (lib. 4. part. 1. cap. 8. num. 22.) Jam vero in casu, implorato vix auxilio Ven. D. famuli, puella, quae prius ob digitorum corruptionem, unguiumque defectum *pedem humi figere nequibat*, *pedibus suis stetit* . . . . . . et cum domum rediret *non exiguum viae spatium*, *neque difficile peregit* (Sum. pag. 107. et seq. § 11. et 25.) : ergo et

morbi malitia illico fuit reapse depulsa; et sanata statim facere potuit quae poterat ante aegritudinem; ita ut sanatio revera in instanti physico perfecta fuerit. Ad haec vero accessit intra quatuor dierum spatium mira illa reproductio carnis, nervorum, cutis, unguium, quae sicuti *valentioribus licet, et internis, et externis aptatis pharmacis, sine temporis diuturnitate evenire non potuisset secundum naturam* (Pascolus) sic intra moralis instantaneitatis limites perfecta miraculum per se perspicuum nova ac clariore luce perfundit.

40 Dum ergo et evidenter excluditur naturalis crisis parta a catameniis, et in sanatione probatur non modo moralis instantaneitas, sed etiam physica, licebit jam Animadversori (§ 37.) tuto et sine errandi periculo *Miraculum* conclamare.

MIRACULUM QUARTUM

Instantaneae sanationis Joannae puellae septennis a nativitate mutae & paralyticae.

41 Conjugibus Petro et Clèmentiæ ex Oppido Vettivaiel nata fuit infans Joanna nomine, quæ *usque ad septimum aetatis suæ annum muta* permansit, quæque *ab ipsa nativitate utrisque cruribus ad femur usque sine carne, ossibus fere tantum constantibus, siccis, et aridis, atque sine sensu fere mortuis e corpore pendentibus, ea nec movere, nec firmare unquam poterat.* Hanc pater, amita, matertera *trasportarunt* ad locum martyrii Ven. Joannis de Britto, ibique nuncupato voto, humi stratam hac illac trahere cæperunt abrepti pietatis æstu, *vel mortuam vel sanam velle* clamantes. *Quo facto, stetit illa aliquantulum suis pedibus, et operiens os suum, cibum petiit, quod ad eum diem nunquam fecerat.* Domum vero reductam, *nullo adhibito remedio, intra octo dies expedite loquentem, ac huc illuc deambulantem, hilariterque prosilientem,* universi viderunt (sunt verba testium in Sum. per tot.)

42 In hoc itaque quarto miraculo idem prorsus subjectum occurrit ac in secundo, paralysis nempe congenita inferiorum artuum conjuncta cum atrophia. Hoc tamen discrimen, quod pueri illius ægritudo porrecta ad tertium tantum ætatis annum Cènsori præbere potuit occasionem animadvertendi hujusmodi ætatem eam esse, in qua pueri a similibus morbis facile convalescant: præsens autem ægritudo, cum ad septimum annum protracta fuerit, eam observationem prorsus excludat. Præterea ibi agebatur de sola paralysi inferiorum artuum, hic agitur etiam de mutitate; quæ (quoniam non explicatur a testibus, num esset cum surditate conjuncta ,

ac propterea proprium et distinctum miraculi subjectum constitueret), considerari potest tamquam eidem paralysi connexa. Ita jam sensit Pascolus, ita nunc judicialis peritus, qui scribit » *Muta* atque immobilis in extremitatibus inferio- » ribus *erat* puella *Joanna*, *quia* a nativitate tam *linguæ*, » quam prædictorum extremitatum nervi, *paralysi afficie-* » *bantur* ». Quamobrem si prior sanatio a paralysi clarissimum visum est miraculum; multo luculentius profecto hæc videri debebit, cui graviora ista accesserunt.

43 Animadversio tamen (§§. 40. 41. 42.) in narratione hujus facti desiderari autumat quæcumque a Bened. XIV. poscuntur, *ne suspicandi locus supersit*, *paralysim ex illis esse*, *quæ natura vel arte momento expelli possunt*, idest, statum ante ægritudinem, experimenta instituta ad cognoscendam privationem sensus et motus, causam unde morbus ortum duxerit. Hisce deficientibus, ignorari ipsam morbi indolem, quem propterea nihil vetat partum censere a causa humorali, quæ facile solvi potest, præsertim in pueris.

44 Nos equidem ignoramus quinam demonstrari valeat status antecedens morbum infantis, quæ eum morbum habuit congenitum: sed quoad experimenta, putamus, tot instituta fuisse, quot momenta septem annorum in quibus puella infernos artus *nec movere*, *nec firmare unquam poterat*. Causam vero morbi arbitramur cum Pascolo ipsis oculis fieri perspicuam a perfecta *atrophia cognata*, quæ animadvertenti cuivis dicit, vel nullos fuisse nervos in artubus inferioribus, vel saltem adeo rigidos, obstructos, atque occalescentes, ut nulli prorsus usui esse valerent (videsis cit. vot. pag. 239. sub fin. & seq. pag. 243. §. Tanta affectarum). Inde vero sequitur puellæ affectionem in inferioribus artubus *organicam* fuisse, non *humoralem*; adeoque ejusmodi, quæ non modo non facile, nec extemplo, sed nullo prorsus modo sanari valeret.

45 Quoad linguam autem scripsit jam Pascolus = In dubium = vocari nequit, quod hæc puella quemadmodum vitio de- = pravatæ in utero conformationis, ex nativa crurum paraly- = si impotentiam habuit ad incessum; ita *ex eodem in lin-* = *gua vitio* impotentiam ad loquelam habuerit. Quæ idcir- = co rationes, quæque auctoritates adsistunt, ut probetur = inemendabilis crurum congenita paralysis, eaedem servient, = ut inemendabilis probetur nativa linguæ ad loquendum = ineptitudo. = Et judicialis peritus in eamdem sententiam scripsit = Mutitas a glossolysi, seu a linguæ paralysi . . . he- = miplegiam primariam comitatur, uti medicis notum est = . . . *Ideoque muta*, atque immobilis in extremitatibus in- = ferioribus *erat puella Ioanna*, *quia a nativitate* tam *lin-* = *guae*, quam prædictarum extremitatum *nervi paralysi* = *afficiebantur*, *seu mobilitate carebant* =

46 Posito vero *organico* nervorum *vitio*, & quidem *congenito*, tum in lingua, tum in infernis artubus, patet, frustra quaeri (animad. §. 42. a med. 43. 44. 45.), num per concitatos illos motus, quibus pater, amita, matertera pietate abrepti, puellam humi stratam exagitarunt, dispelli aegritudo valuerit: frustra item exempla proferri aut citari *adventitiæ* paralysis extemplo sublatæ. Hic enim non agitur de humorum exuberantia, quæ facile discuti valeret, nec de adventitia affectione, quæ vehementi aliqua commotione vel interna vel externa solvi possit vel illico vel paulatim, sed de prava nervorum structura aut conditione quoad linguam, & de iisdem vitiis, ac fortasse etiam de pleno nervorum defectu in artubus inferioribus: quibus certe vitiis nulla concussione, vel exagitatione, vel commotione, non modo extemplo, sed nec longo quidem tempore occurri potuisset (Pascolus pag. 242. in fin. & seq.)

47 Hinc vero relellitur ea observatio (animad. §. 48.) qua *instantaneitas* sanationis ideo requiritur in casu, quia *morbus uterque, quo Joanna laboravit natura insanabilis non erat*: nam si morbus sistebat in *cognata organica læsione*, nullo erat profecto naturæ vel artis conatu sanabilis (videsis Pascolum in votis pag. 228. §. *nervorum*, pag. 243. §. *tanta*, pag. 245. § *idem*); atque idcirco animadversio, quæ instantaneitatem ideo petit, quia illum sanabilem putat, ex ipso principio suo concedere cogitur, instantaneitatem in casu non esse requirendam. Et sane, ut observat Matta (de Canoniz. sanctor. par. 4. cap. 11. num. 6.) = Instantaneitas di-
= cit inhabilitatem intrinsecam potentiae naturalis, etiam
= cum auxilio medicamentorum & artis, recuperandi sani-
= tatem, prout est caecitas, MEMBRORUM ARIDITAS, &
= similes morbi, in quibus omnis naturalis virtus & poten-
= tia totaliter est deperdita, ita ut ab hujusmodi privatione
= ad habitum non sit dare regressum = Patet autem, quod sicut in istis morbis frustra subsidium expectaretur a tempore; sic breve tempus interjectum inter initium, & finem sanationis, miraculi evidentiæ officere non valet » Si enim (ait Card. de Lauræa in 3. sent. tom. 4 p. 20 art. 20. num 874.) = aliquis sit ARIDUS, coecus natus, vel ex morbo to-
= taliter ex organi corruptione coecus, vel alio simili inve-
= terato morbo laboret, NON OFFICIT MIRACULO, SI IN
= TEMPORE, SIVE PAULATIM & SUCCESSIVE OBTINEATUR EVENTUS.

48 At qui rem attentius consideret, ac præ oculis habeat miraculi vim in hoc sistere, *ut omnis morbi malitia illico depellatur*; sanationem in casu in instanti perfectam esse non dubitabit. Nam quæ paralytica & arida in inferioribus artubus fuerat ab ortu, quæ muta a nativitate, illico post invocationem *stetit suis*

pedibus, et aperiens os suum cibum petiit. Id vero fieri non potuit, nisi nervi, siquidem plane deficiebant, protraherentur ad extremas partes, vel si aderant utique, sed intime laesi, tabidi, occalescentes, pervii fierent extemplo ignotæ nutritioni, rigiditatem congenitam exuerent illico, aptique sen sui et motui ita efficerentur, ut et crura ferre corporis pondus valerent, & lingua edere verba. Hoc autem perfici, quis non videat idem esse, ac universam morbi malitiam illico depelli? Quod vero imbecillitas aliqua manserit in sanatis partibus, ita ut puella non statim, sed intra octo dies *prosilierit*, id profecto non officit instantaneitati sanationis, quæ tota sistit, ut diximus, in malitiæ morbi depulsione. Qua de re scripsit Bordonius (de miracul. medit. 7 numer. 24.) = Quæres an pallor, cicatrix, DEBILITAS, & alii defectus ab = infirmitate relicti post receptam sanitatem tollant rationem = miraculi? Respondeo negative, quia miraculum in eo con- = stitit, ut Dei ope speciali *sanitas tota simul in instanti re-* = *cuperetur*; sed sic recuperari potest remanentibus &c. ergo = *hæc non tollunt actionem* miraculi =

49 Per hæc satisfactum arbitramur animadversionibus (§ 46 47) instantaneitatem sanationis oppugnantibus. Sed jam vela contrahens Censor noster, congestas hactenus in singula miracula objectiones, paucis hisce perstringit. (§ 50) = Si quævis dubitatio ad miraculum excludendum sufficit, equidem non video quomodo adprobari quæant adserta miracula, quæ nulla fide dignis testibus constituntur, quæque carent *extremis* ad eorum probationem notissimo jure requisitis =. Nos vero paucis item respondemus, vindicata testium fide, probatisque singulorum miraculorum *extremis*, adiunctis etiam duobus clarissimorum virorum in arte medica præstantium votis, quæ pro veritate tulerunt, nihil jam superesse, quod obstare valeat eorum approbationi; concludimusque cum Pasculo (pag. 239. In una) *haec omnia ut excesserunt vires ordinemque naturæ, ita miraculis nulla haesitatione accensenda videntur.*

Quare &c.

JOANNES ROSATINI AD SCRIBENDUM SPECIALITER DEPUTATUS.

FRANCISCUS MERCURELLI

REVISA

PETRUS MINETTI S. C. ADV. ELECTUS
S. R. C. ASS. S. F. SUBPROMOTOR.

SUMMARIUM
ADDITIONALE

DECRETUM

Feria V. Kalendis Aprilis 1745.

Num. 1. *Decretum S. R. et Univ. Inquisitionis quo damnantur opera Fr. Norberti, et confirmatur Decretum circa Ven. S. D.*

In Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Ædibus Apostolicis Collis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Divina providentia Pontifice XIV, & Eminentissimis, ac Reverendissimis Cardinalibus per universam Christianam Rempublicam contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica peculiariter deputatis, sermo habitus est de Libro Patris Norberti ex Ordine Capuccinorum, qui inscribitur = MEMORIE ISTORICHE INTORNO ALLE MISSIONI ORIENTALI = & tria Volumina complectitur: Qui Liber gallica primum lingua conscriptus, ac deinde in Italicam redditus extra Urbem Typis impressus fuit: Equidem excogitari non multum debuit, an Liber ejusmodi censuram mereretur, quod unice inquirendum est a Sacra Romana, & Universali Inquisitione: Etenim cum is Liber ab Urbe extra ipsam missus fuerit sine facultate, ac permissione Eminentissimi, ac Reverendissimi Cardinalis Vicarii, & Patris Magistri Sacri Apostolici Palatii; Insuper, cum editus in lucem fuerit extra Urbem, id procul dubio satis est, ut præfatus Liber nulla alia interposita declaratione, tanquam censura notatus, & proscriptus judicetur, juxta literale decretum Urbani VIII. confectum Feria V. sexto Idus Septembris Anno 1625 in Congregatione Sancti Officii habita coram ipso Pontifice; Quod sane Decretum non semel executioni demandatum est, & impressum in Romano Bullario continetur: Accedit etiam, quod Liber Patris Norberti de Sacris agat Missionibus: Quapropter, cum minime intercesserit Facultas Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ut nempe Typis ederetur, quæ præfici

quidem debet in fronte cujuscumqueLibri,in quo de iisdem Missionibus sermo instituatur, id quoque satis est ut idem Liber tanquam proscriptus habeatur, quemadmodum eadem Congregatio de Propaganda Fide Decreto statuit die 19 Decembris Anno 1672., quo Decreto alia super hac ipsa re prioribus temporibus edita renovantur, & confirmantur. Illud autem Decretum a Clemente X. Kalendis Martii Anno 1673 de verbo ad verbum comprobatum fuit, iterumque confirmatum Apostolicis Literis, quas dedit ipse Pontifex in forma Brevis die 6 Aprilis Anno 1673 incipientes = *Creditæ nobis &c.* =, quæ literæ habentur in Collectione Apostolicarum Constitutionum, Breviurn, ac Decretorum, quæ impressa fuit pro Missionariis, qui in Orientem ad Fidem Propagandam mittuntur.

Quamvis hæc ita se habeant, munus quibusdam Theologis demandatum fuit, ut Librum Patris Norberti sedulo, & diligenter examinarent, ipsorumque Sententiæ jussu Sanctitatis Suae BENEDICTI XIV. singulis Eminentissimis, ac Reverendissimis Cardinalibus Sancti Officii comunicarentur pluribus diebus antequam Sacra Congregatio indiceretur; & postquam easdem Theologorum Sententias Sanctitas Sua percurrit, & studio accurato perpendit, & suffragia ab ipsis Cardinalibus coram prolata percepit, decreto suo constituit Librum Patris Norberti in tria volumina divisum, tum Gallica, tum Italica lingua conscriptum, obnoxium esse, subjectumque Censuris, quas Urbanus VIII., & Clemens X., uti superius dictum est, inflixerunt; & ob eandem causam proscriptum haberi, atque suppressum; quemadmodum Sanctitas Sua præsenti Decreto idem præcipit, atque declarat.

Insuper, cum sibi persuaserit Sanctitas Sua tum ex Sententiis ejusdem Sacræ Congregationis, tum ex rationibus plurimorum, qui ostenderunt permitti nequaquam posse, absque offensione bonorum, & scandalo animarum, ut Liber Patris Norberti luce publica gaudeat, ideo ob id quoque præcepit eundem Librum tum Gallice, tum Italice scriptum consequenter damnari, & proscribi, uti Sanctitas Sua præsenti Decreto damnat, ac proscribit: Mandat etiam omnibus cujusvis Ordinis, & Conditionis, ne quocumque praetextu ac ratione audeant Typis iterum imprimere præfatum Librum, aut ipsum retinere, vel legere quavis excusum lingua sub poenis, quæ in Indice Librorum proscriptorum statuuntur; Sed ipsum ad Episcopos Locorum, sive ad Inquisitores contra hæreticam pravita-

tem statim deferre teneantur; aliter poenas easdem subibunt, quas modo indicavimus.

Quoniam vero Pater Norbertus in suo Libro sæpius refert, quod, si unquam contigerit, Venerabilem Dei Servum Ioannem de Britto Societatis Jesu Beatorum Albo adscribi, Malabares in eam facile devenient opinionem, usum Rituum vetitorum nullatenus officere sanctitati, (quamvis in Apologia, quam exhibuit Sanctitati Suæ, & Cardinalibus Congregationis Sancti Officii, fateatur nullam penitus habuisse cognitionem Decreti promulgati a Sanctitate Sua in Congregatione Sacrorum Rituum die secunda Iulii anno 1741. in qua de eodem Dei famulo agebatur, quod tamen Decretum Typis Cameralibus editum, & locis in Urbe consuetis propositum, defixumque fuit; quamvis etiam idem Pater Norbertus in sua Apologia testari non prætermiserit observantiam, quam debet, & obedientiam Decretis Apostolicis, & huic præsertim, de quo verba institui mus) Sanctitas Sua præfatum Decretum confirmare iterum consentaneum duxit, uti re ipsa denuo confirmat, videlicet praedicta non adversari, nec ullum impedimentum afferre, ne causa ultro proferatur, dubiumque de Martyrio, & causa Martyrii, quod ille passus asseritur, expendatur, ac de signis, & Miraculis, quae eidem Dei Famulo accepta referuntur, examen instituatur.

Quippe, vel minime constat Venerabilem Ioannem de Britto Ritibus Malabaricis vetitis usum fuisse, postquam illos Romanæ Sedis auctoritas damnavit, vel si id etiam constaret, si tamen Martyrium deinde, & ipsius causa juxta leges, & instituta Ecclesiæ liquido demonstrabitur, superadditis quoque signis, & miraculis, omnis macula, & labes anteactæ Vitæ, si quæ contracta fuerit, deleta sanguinis effusione, satisque expiata judicari poterit, quemadmodum intelligi potest ex Decreto superius allato, quod die secunda Iulii anno 1741. promulgatum fuit, ubi Sanctitas Sua gravissimas poenas irrogavit, & nunc iterum irrogat illis, qui ob causam ejusdem Decreti asserere audeant, aliquo modo labefactari, vel infringi Constitutiones suorum Praedecessorum Clementis XI., Benedicti XIII., & Clementis XII., quibus iidem Ritus Malabarici prohibentur: Tunc enim Sanctitas Sua illis assentiri penitus adfirmavit, & ipsis firmiter inhærere nunc etiam fatetur.

Quamvis autem incredibile, & penitus alienum a veritate videatur aliquem reperiri posse tam rudi, vel perverso ingenio, qui ex Decreto proscribente Librum

Patris Norberti existimet debilitari, vel imminui Constitutionem, qua Sanctitas Sua Ritus in Indiis Orientalibus evitandos, vel observandos perscribit, & quæ incipit = *Omnium sollicitudinum* = in lucem edita die 12. Septembris anno 1744., cui inseruntur, & iterum confirmantur priora Decreta, ac Brevia Summorum Pontificum Clementis XI., Benedicti XIII., & Clementis XII. (quippe Liber Patris Norberti proscribitur ob eas tantum causas, quæ referri nullo modo queunt ad praefata Decreta, Brevia, & Constitutiones Pontificias, & de quibus ne ullum quidem verbum in iisdem Decretis, Brevibus, & Constitutionibus habetur) quamvis, inquam, hæc ita sint, tamen Sanctitas Domini Nostri BENEDICTI XIV. sub poenis arbitrio suo, & Successorum Pontificum statuendis praecepit, & iterum praecipit omnibus cujusvis conditionis, licet specialiter nominari debeant, nullo pacto inferre, sive asserre ex Decreto proscribente Librum Patris Norberti labefactatam esse, aut imminutam vel partem minimam praefatae suae Constitutionis, quae, uti superius dictum est, incipit = *Omnium sollicitudinum* = Siquidem plenam ipsius observantiam requirit, atque edicit Universis; poenasque in eadem Constitutione propositas in illos renovat, qui parere recusaverint: Insuper fatetur Sanctitas Sua perpetuo se inhæsuram non modo eidem Constitutioni, sed aliis quoque Decretis, ac Brevibus suorum Praedecessorum; quae in illa per extensum describuntur.

Interim Sanctitas Sua omnes vehementer admonet, et admonendo jubet, ut pareant Decreto Urbani VIII., et Brevi Clementis X., quæ superius memoravimus, et quæ summopere conferunt ad coercendam licentiam, & impudentiam Typis committendi quæcumque Scriptoribus in mentem venerint, & ad componenda dissidia, quæ inter Missionarios Apostolicos magis in dies excitantur. Meminerint etiam qui obtemperare detrectant, præter reliquas pænas, se pariter obnoxios esse majori excommunicationi ipso facto incurrendæ, & Pontifici reservatæ, a quo solum, & non ab alio quopiam dissolvi possunt, nisi postrema moriendi necessitas immineat :. Porro ejusmodi poenam recusantibus parere Decreto Urbani VIII. Sanctitas Sua irrogavit Feria V. decimo quinto Kalendas Octobris anno 1744. promulgato Decreto, quod affixum in consuetis Locis de more fuit decimo septimo Kalendas Novembris eodem Anno: At qui nequa-

quam obtemperant Brevi Clementis X. eidem poenæ per ipsius Pontificis Breve subjiciuntur.

PAULUS ANTONIUS CAPPELLONUS SANCTÆ ROMANÆ, ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS NOTARIUS.

Loco ✠ Sigilli.

Die 9. *Aprilis* 1745. *supradictum Decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Palatii Sancti Officii, ac aliis locis solitis, et consuetis Urbis per me Petrum Romolatium Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

DEFENSIO INDICARUM MISSIONUM

Cap. XV.

QUALES SINT CHRISTIANI ILLARUM MISSIONUM.

Num. 1. Testimonium R.P. Francisci Laines de indole, pietate, religione & constantia Christianorum Tamulensium.

Licet suo apud Deum merito non fraudetur, qui diligentem infructuosæ alicui Domini vineæ navat operam; fatendum tamen magnum ad labores, studiumque vineæ colendæ incitamentum esse, si suæ diligentiæ, suisque curis tellurem respondere videat. Hæc fuit hactenus Missionariorum tamulenses terras excolentium felix conditio. Non solum multi illorum Regnorum Ethnici in Evangelicam fidem concessere; sed Christum induentes, optimi facti sunt Christiani, utpote qui ad omnes fidei regulas vitam suam accurate componentes, Europæis ipsis exemplo esse possint. Certe tanta sunt vitæ integritate, ut non sit infrequens Missionarium a prima luce ad meridiem usque Confessiones excipere, quin lethalis peccati reum quemquam inveniat.

Eorum studium erga res sacras maximum est. Si quando Missionarii nequeunt in aliqua Provincia commorari ob grassantes in ea persecutiones, non dubitant Neophyti longa itinera suscipere, ut sacrorum mysteriorum fiant participes. Et cum itineri faciendo necessarium sit in illis terris, quæ ad victum sunt opus, secum deferre, non infrequens est videre utriusque sexus Christianos, trium vel quatuor dierum itinere sarcinas illas deferentes, sole fervido & æstuoso pedibus incedere, & in Ecclesiam tendere; quod sine magna commiseratione & admiratione conspici nequit.

Quod ad fidem spectat, quam Idola adversentur, & quam sint Religionis suæ tenaces, abunde probant tot insectationes, quas alias ex aliis quotidie patiuntur. Ex infestis illis agitationibus maxima semper constantia emerere Christiani Tamulenses, meritaque fortitudinis laude apud omnes potiti erant. At pro constantiæ laudibus, quibus antea gloriose extollebantur, levitatis notam modo illis inurere voluerunt argutatores nonnulli, qui ob paucos in dirissima persecutione lapsos affirmare non dubitarunt, Neophytos illos animo cadentes, in illa ipsa persecutione minus fortiter se gessisse. Quod ut appareat tam fuisse falsum quam Neophytis iniuriosum, non possum hic paucis non referre, qua ratione se res habuerit, ut ex modo quo se Christiani difficillimis illis temporibus gessere, qui, qualesque sint, innotescat.

Sæviente jam quatuor abhinc annis tyranno in Christiani nominis professores, illosque a Regno suo ad unum convellere meditante, Tamulenses Neophyti fortunis primo deturbati, jacturam illam lucro apposuere, possessionesque suas arbitrati sunt ut stercora, ut Christum lucrifacerent; in carceres pertracti sunt viri,& quod inter illas gentes prorsus insolens est, ipsæ mulieres cum pueris & puellis. Multi ex primoribus non tanquam ad ergastula, sed tanquam ad palatia convolabant; in satellitum manus ultro se tradebant, ibantque gaudentes, ut Religionem suam, uti dicebant, rationibus coram tyranno comprobarent, & sanguine etiam proprio obsignarent, e carceribus non educi cupientes, nisi ut Martyrii palma ad superas sedes migrarent.

Fuerunt hæc veluti pugnæ prælndia; ad certamen ipsum paullo post deventum est: Cæpta fidelium constantia tormentis atrocissimis tentari. Parum fuit eos fame & siti prope enecare: mox accessere flagellationes sævissimæ, in quibus scuticis retortis & intertextis, corpusque totum complectentibus, Christianorum humeri, pectoraque crudelem in modum dilaniabantur: supplicium illud mane, seroque iterabant: spatio non concesso, nisi ut tortores quiescerent, aut intermissis vulneribus magis sentiendi mora relinqueretur &c. &c.

Pergit deinde singula factis individuis comprobare.

REVISA

PETRUS MINETTI S. C. ADV. ELECTUS S. R. C. ASS. ET S. F. SUBPROMOTOR.

MELIAPUREN.

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS

MARTYRII

VENERABILIS SERVI DEI

JOANNIS DE BRITTO

SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU

VOTUM

QUOD SUPER QUATUOR MIRACULIS
PRO VERITATE FEREBAT

IOSEPH DE MATTHAEIS

PUBLICUS MEDICINAE PROFESSOR IN ROMANA
UNIVERSITATE, EX ARCHIATRORUM COLLEGIO.

BEATISSIME PATER

Lubenti ac laeto animo suscepi munus ab Emo Dno Cardinali della Genga mihi demandatum legendi ac perpendendi quatuor praeclarissima ex pluribus aliis selecta miracula intercessione & opera Venerabilis Servi Dei Joannis De Britto e Societate Jesu patrata atque ad rem medicam spectantia, ut de iis opinionem meam in medium proferam. Difficile est verbis exponere quanta cum admiratione & gaudio hanc lecturam perfecerim, omnesque ejus partes diligenter examinaverim, atque ad trutinam pro veritate revocaverim.

Quam ob rem si vera sunt exposita; quae verissima esse videntur propter tot tantorumque testium auctoritatem, ac circumstantiarum omnium antecedentium, concomitantium, & subsequentium pondus, nullum superesse poterit dubium, de supernaturali, ac miraculosa morborum de quibus agitur sanatione praelaudati Venerabilis Servi Dei intercessione peracta; Illud interea in mentem revocare juvat non dissimiles morbos curatu difficillimos, Paralysim nempe & Lepram a Cristo Salvatore nostro immediate vel solo tactu vel verbo dicto expulsos fuisse, ut evangelia docent, ideoque evangelici morbi dici solent a medicis, quo nomine apprime patet in genere quam difficile sit eos curare efficacioribus etiam artis auxiliis absque miraculorum actione.

Nunc de quatuor hisce singillatim loquemur. Et in primis *de instantanea sanatione Ignatii, ex Tribu Pallà Oppidi de Oriur a maligna febri, dum jam ad ultimum vitae periodum redactus reperiebatur.*

Maligna, haec febris per integrum mensem miserrime divexavit aegrum, qui tandem vitae viribus omnino destitutus jam mortuo similis jacebat, amisso loquelae ac sensuum omnium usu, de sepulcro ei dando consanguinei cogitabant, quando invocato dumtaxat Venerabilis Servi Dei Joannis auxilio, aeger iste de repente sanus e lecto surrexit, uti plures testes, & ipsemet medicus affirmant. Post tot incassum adhibita remedia nulla in artis auxiliis supererat fides: aeger derelictus erat absque ulla sanationis spe propter labefactatas naturae vires a diuturnitate, & gravitate morbi, unde mortuo magis quam morienti similis videbatur. In hac desperata conditione V. Ioannis auxilium invocatur eodem in loco quo ipsemet occubuit, & illico videntibus atque admirantibus omnibus procul ab omni medicina sanus de repente surrexit absque ullo praedicti morbi signo superstite ac si unquam infirmus fuisset. Quaenam dubia excogitari poterunt super evidentissimum hoc miraculum? Si supernaturalis & miraculosa hujusmodi sanatio non apparet quidnam requiritur ut talis appareat?

Quaecumque fuerit patologica idea malignae febris nomini a disceptantibus medicis adnexa, illud pro certo haberi debet semper gravem, periculosam, lethalem febrim tali nomine dignam intelligendam esse; *nam conveniunt rebus nomina saepe suis*, & magis quam perniciei nomen, in perniciosis febribus, illud malignitatis in ita dictis pertimescendum erit. Sed omisso nominis praetio, ad feralia morbi symptomata, ejusque naturam ac diuturnitatem animum convertamus. Trigesimus jam vertitur febris dies; ob extremam virium debilitatem aeger mortuo similis jacet; loquela ac sensuum omnium ministerio caret: faciem cadavericam præbet: a medicis derelinquitur quia mortuus magis quam moriturus videtur. In hoc miserrimo statu de repente sanus, ac

perfecte sanus evadit. Quomodo igitur miraculum hujusmodi in dubium revocare poterit homo etiam modicae fidei?

Quoad secundum attinet, in, quo agitur *de instantanea sanatione pueri triennis Santiagi Gasperis*; *qui a nativitate paralysi cum atrophia detinebatur*, illud in primis animadvertendum paralysim esse in genere morbum curatu difficillimum. Nam evangelicus morbus est: Tres etenim in sacris evangeliis memorantur, paralytici a Cristo sanati. Ea de qua agitur a nativitate apparuit; ideoque congenitus morbus est, ac proinde, curatu difficilior, uti morbi congeniti pene omnes, qui difficillime curari solent. Et insuper cum atrophia conjuncta, quae consociatio majorem invenit curationis difficultatem. Equidem, uti celebratissimi docent medicinae scriptores, membra paralytica cum atrophia vel emaciatione conjuncta, tamquam insanabilia considerari possunt. Sic Boheravius (1) *Paralysis cum atrophia partis mala, et raro medicabilis.* Svvietenius vero addit (2) *Omnium autem pessimum signum est si pars paralytica simul fiat atrophica.* Quae sententia non solum experientiae et rationi consentanea declaratur ab omnibus medicinam facientibus, sed etiam Hippocratis et Celsi auctoritate confirmatur. Monuit namque medicinae Parens (3): *Quibus una cum hoc quod movere non possunt, morbosa pars corporis attenuatur, hi in sanationem restitui non possunt.* Et apud Celsum legitur (4): *Quacumque vero corporis parte membrum aliquod resolutum est, si neque movetur, et emacrescit, in pristinum habitum non revertitur.* Nullum proinde dubium de miraculo in hujusce pueri instantanea et perfecta sanatione, carne, robore, et motu illico recuperatis, nullo adhibito artis remedio, sed invocato dumtaxat V. Servi Dei benefico auxilio.

Quoad tertium miraculum de *instantanea sanatione Joannae filiae Petri Philagii Pellà a pessima et incurabili lepra*, in mentem prius revocata sanatione Leprosi, qui solo tactu mundatus fuit a Jesu Christo, uti legimus in Evangeliis, animadvertendum in primis est hanc Joannae Lepram non levem fuisse neque cum scabie confundendam sed pessimam et incurabilem. Quamvis enim medicinae scriptores varias distinguant Leprae species, et praesertim illam Arabum, illamque Graecorum, unanimes tamen sunt in

---

(1) *Tom. V. pag.* 94. *Aphor.* 1062.
(2) *In comment. pag.* 97. *v. V.*
(3) *Porrethic. lib.* 2. *Cap.* 17.
(4) *Lib.* 2. *Cap.* 8. *pag.* 75.

declaranda hujus morbi pertinacia, gravitate, ac difficillima curatione, cujuscumque generis ac speciei ipse fuerit. Sic Sauvagesius (1): *Morbus hic chronicus est, et sanatu difficillimus.* Et alibi (2) *nullus morbus magis isto formidandus simulque incurabilis.* Eximius Medicinae scriptor Joannes Petrus Franch (3) in Epitome de curandis hominum morbis verissime docet. *Vix quidquam medicinam in Lepræ curatione præstitisse vulgaris est opinio, cui quotquot hanc artem vel quondam exercuerunt vel hodiedum profitentur, si de morbo jam provecto loquamur non difficulter accedunt.* Addit praeterea quod in hoc casu summopere interest (4) = *Nec natura, sed vehementiae modo, gradu, sedisque ratione Arabum Graecorumque lepras inter se differre putamus.* Ideoque cum de pessima et incurabili lepra agatur in curatione puellae Joannae, cumque curatio hujus dirissimi morbi instantanea fuerit et perfecta, sola invocatione facta ab aegrotante leprosa intercessionis V. Servi Dei eodem in loco ubi ille martyrium passus fuerat, nullum superesse poterit dubium de hoc solemni, ac praeclarissimo miraculo.

Quoad quartum Miraculum, eadem repetenda sunt quae diximus de secundo. Agitur etenim de perfecta paralysi in extremitatibus inferioribus cum mutitate conjuncta, quae a nativitate usque ad septimum aetatis annum puellam hanc miserrime afflixit. Mutitas ut plurimum cum surditate ab ortu consociatur. In casu, de quo agitur, neque admittitur neque excluditur congenitae surditatis phoenomenon. Quid ad rem? Mutitas et paralysis artuum inferiorum evidentissime apparent in misera puella; et hoc satis. Nam mutitas a glossolisi, seu a linguae paralysi, saepissime apoplexiam sequitur, et hemiplegiam primariam comitatur, uti Medicis notum est. Mutitas surdorum ab ortu debetur non aphoniae, sed loquelae tyrocinii defectui. Nam ut loquamur, alios primum loqui, labia movere, voces et verba mittere audire, et videre debemus. Hinc saepissime, si non semper, muti non solum non loquuntur, verum etiam non audiunt. Quin imo salva organorum loquelae famulantium integritate, vitium totum auribus heret, unde loquendi potestatem habentes non loquuntur, quia alios loqui non audientes loqui non didicerunt. At in casu, de quo agitur, ea nervorum af-

---

(1) *Nosol. method. V.* 1. *pag.* 303.
(2) *Ibid. pag.* 302.
(3) *Vol.* 4. *pag.* 233.
(4) *Ibid. pag.* 209.

fectio morbosa, quae paralysis dicitur, unica et vera causa fuit immobilitatis linguae seu mutitatis non minus quam artium inferiorum. Ideoque muta atque immobilis in extremitatibus inferioribus erat puella Joanna, quia a nativitate tam linguae quam praedictorum extremitatum nervi paralysi afficiebantur, seu mobilitate carebant. Nil proinde mirum si mutitas ab ortu sine vel una cum surditate, sed certo cum extremorum paralysi consociata puellam hanc usque ad septimum aetatis annum divexaverit. Illud sane ac summopere admirandum, puellam de repente sanatam fuisse, loquela ac motu membris restituto implorato dumtaxat auxilio Ven. Servi Dei Joannis. Quapropter recedant dubia atque objectiones, sileant oppositores et mirabilia Dei per Sanctos suos ut par est admirentur.

JOSEPH DE MATTHAEIS
Publicus Medicinae Professor in Romana Universitate, ex Archiatrorum Collegio

REVISA

PETRUS MINETTI S. C. ADV. ELECTUS S. R. C. ASS. ET S. F. SUBPROMOTOR.